

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

- DE -

DOLORE FACIALI
FOTHERGILLII,

QUAM ANNUENTE

MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE ET DIRECTORE

INCLYTA FACULTATE MEDICA

REG. SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

OBTINENDO CONSCRIPSIT

CAROLUS FORTY.

HUNGARUS BUDENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universi-
tatis maiore, die 18 Junii 1833.

B U D A E ,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

**Edel sei der Mensch
Hülfreich und Gut!**



Goethe

SEINEM
BESTEN VATER

WIDMET

DIESE BLÄTTER

UNBEGRÄNZTER DANKBARKEIT

UND
KINDLICHER LIEBE



DER
VERFASSER.

Nomenclatura morbi.

Morbus hic atrox iam veteribus notus, sed minus clare descriptus, et saepissime cum aliis confusus est, morbis, hinc etiam factum, ut variis sub denominationibus in medicorum scriptis occurreret.

Apud antiquos scriptores sub nomine convulsionis, spasmi raptus canini, spasmi cynici, torturae faciei, et oris (*Arabum*, et *Gordonii*), vel cephalaeae et heterocraniae venit (*Rhazes*, *Avicenna*, *Abulkazem*, *Mezue*, *Aretaeus Cappadox*); sacco 18-o. morbus accuratius est descriptus, et variis insignitis nominibus, quae a natura, sede, et causa, aut a symptomatibus magis conspicuis, nec non a gradu, et decursu typico, vel atypico desumta sunt; sic: peculiarem faciei affectum nominat *Thouret*, dolorosum faciei affectum *Fothergill*, dorem faciei atrocem *Viellard*, dolorem facialem *Fothergillii* *Forstmannus*, dolorem superficialem acerbissimum *Daniel*, dolorem maxillae per raram, acerbissimum et periodicum *Hartmannus Degner*, Trisnum dolorificum *Souvagegus*, dolorem spasmodicum faciei *Hill*. spasmodico convulsivam affectionem *Frid. Hoffmann*, dolorem faciei typicum *Cell. Siebold*, dolorem periodicum *Monro*, dolorem faciei convulsivum *Van-Loenen*; rheumatismum cancrorum *Vogel*, Haemicraniam saevam *Wepfer*, Febrim topicam *Van-Swieten*, ophthalmodyniam periodicam *Plenkus*, Aërophobiam, trisnum maxillarem, nystagmum catarrhalem, rheumatismum larvatum *Souvagegus*, et alii plures. Majorem sibi celebritatem vindicavit, praecipue inter medicos germaniae, denominatio a *Plouquet*, et *Reil* proposita, qui morbum a graecis nominibus (προσωπον et αλγος) nevritudem facialem compellarunt. *Chaussier* secundum sedem et naturam denominat (Nevralgie de la face), quam compellationem *Re-nauldin* vertendo nevralgiam facialem vocat, *Gall. Tic*

douloureux, Tic convulsiv *André, Pujol*. Germ. Gesichtschmerz, Antlitzschmerz, schmerzhafter trismus, Fothergills Gesichtschmerz. Inter omnes denominationes praeplacet illa a *Plouquet, Reil* et *Swediauer* proposita, nimirum prosopalgia, seu dolor facialis.

Conspectus historicus.

Jam apud antiquos scriptores fit mentio huius morbi atrocis; hinc minime verò accedunt ii, qui cum *Loenenio, Sieboldio, et Reinhardio* putant, eum primo saeculo 18-o. innotuisse; ipse *Celsus* eum iam memorat saeculo aerae christiannae 2-o. *Aretaeus Cappadox* sat aperte de hoc morbo mentionem facit. Graecus *Simeon Seth*, et arabum *Rhazes* aliique plures, uti: *Abulkazem, Mezue, Avicenna, Eben Sina*, hanc affectionem in scriptis suis commemorant; saeculo 16-o. *Gordonius* mentionem huius morbi fecit; sic etiam *Aetius* hunc indicasse videitur morbum, ubi de convulsione canina loquitur, quam adfectionem etiam *Celius Aurelianus* novit. Prima neuralgiae infraorbitalis historia typis concedita est anno 1665 in Pauschio praeside academiae naturae curiosorum, hunc secuti sunt plures, qui omnes morbum hunc commemorant; sed cum aliis confundunt spasmodicis adfectionibus, inter hos pertinent: *Frid. Hoffmann, Degner, Schenk, Wepfer, Van-Swieten, Plenk*. Ad initium saeculi 18-i primus, qui de eo scripsit, fuit *André*, qui occasionem habuit multos hoc morbo adfectos observandi, et curandi, hicque primus erat qui prosopalgiam a spasmo cynico distinxit; paulo post *Fothergill* 1781 eximium tractatum 14 observationibus auctum typo mandavit, atque medicos practicos attentos reddidit de atrocitate huius mali, post illum *Thouret, Pujol, et Chaussier* eum observarunt et eximie descripserunt, etiam medici germaniae non parum contulerent ad dilucidandam naturam et therapiam huius mali. Recentissimis temporibus medici quoque Americae borealis omnes suos conatus converterunt, ad diri huius morbi naturam cognoscendam, et therapiam rectam adinveniendam, qua morbus sanari aut saltem, mitigari valeat. Temporibus novissimis pathologiam huius mali. *Cell. Sprengel, et Henke*, therapiam vero *Jos. Frank, et Raimann* exactissime pertractarunt.

Morbi definitio.

Prosopalgia est ille peculiaris morbus, cuius symptoma praecipuum constituit dolor atrocissimus, qui periodo regulari, frequentius irregulari, cum vel absque prodromis recurrit, durationis valde diversae, qui sedem frequentissimam figit in ramo aliquo paris quinti nervorum cerebralium, nempe nervo trigemino; subinde tamen etiam nervum facialem infestat. Morbus hic atrox variis stipatur symptomatibus, quae pro diversa constitutione aegri, et pro diversitate causarum nimio opere variant, ideo congruum erit singula symptomata exactius pervestigare.

Symptoma praecipuum huius morbi diximus esse dolorem, et quidem faciei, qui peculiare habet proprietates: initio est levis, brevi durans tempore, et fugitivus, acuum puncturis simillimus, non raro dentem sive bonum sive morbosum adficit, et tunc odontalgiam mentitur, sensim solum increscit, atrociorque fit, donec tandem sub morbi progressu ulteriori atrocissimus evadat, intollerabilis, lancinans, aut scindens, pulsatorius, terebrans, rodens, vel urens, praecipuus tamen character quo notatur hic dolor, est, quod per lentorem attactum affectarum partium, aut aeris tractum levissimum, guttam allidentem, motum musculorum faciei etiam captissimum, imo solum conspectum obiecti albi, uti: verbi causa muri sole collustrati, aut strepitum etiam si exiguum, dolor praesens acui, delitescens vero e somno quasi provocari valeat; ubi vicissim rudior contrectatio, aut pressio eum mitigat; haec doloris imdoles pro signo maxime pathognomonico haberi debet, et illa est etiam causa, quod complures medici teste *Lentino*, has proprietates doloris non considerantes, omnem in facie affectionem dolorificam illico pro prosopalgia *Fothergillii* declararent, et rarum istum morbum, potissimumque immedicabilem, saepius se observasse et sanasse asserere auderent. Comparant aegri dolorem hunc cum fulminis ictu, qui ramificationes nervorum percurrit, aut asserunt ossa illorum lima radi, mola teri, musculos faciei lacerari, illorum faciem acie dividi, aut a cranio avelli, non raro persentiunt sub ingressu dolorum quasi ventus summa celeritate ramos nervorum percurret, aut vero uti *Mazius* refert in *Hufeland's Journal. d. pract. Heilk.* B. 25. St. 1. S. 11. quasi filum tenue hinc et illinc intra musculos faciei moveretur. Dolor non raro adeo atrox fit,

ut aegri in desperationem, et furorem agantur, et in summa constituti vehementia capite muros allidant, et mortem a circumstantibus sibi exposcant; dolor hic sua intensitate multum superat odontalgiam et otalgiam; saevit vero hic dolor aut in puncto aliquo fixo, aut vero inter fibras cuiusdam nervi diversas fluctuat aerae electricae ad instar, quod *Jll. Jos. Frank* in judaea Viloensi observavit, in hac enim dolor ex gingivis ad buccas migravit, et vicissim; longe saepius ad foramen infraorbitale, aut in foramine menti, vel in angulo maxillae inferioris, aut vero in osse zygomatico alterutro, imo etiam in palato, in ciliis ipsis suas exserit vires, rarius sedem figit in processu mastoideo, in genere eas inprimis faciei plagas occupare amat, ubi majores rami nervorum decurrunt, et per copiosas ramificationes, et anastomoses diversimode diffunditur.

Cell. anglus medicus *Pothergill* primum et tertium ramum paris quinti, rarius ac secundum, hunc rarius iterum quam portionem duram nervi acustici in pedem anserinum se expandentem affici dicit; sed recentiorum copiosa observata de hoc morbo docent, nullam hic certam statui posse regulam, id tamen comprobatur, neuralgiae facialis sedem frequentissimam ramum infraorbitalem nervi maxillaris superioris esse.

Dolor hic latus faciei dextrum praediligit, sed ideo tamen sinistrum minime spernit, quin imo exempla aliqua exstant, ubi utrumque faciei latus affectum fuit, quod iam rarius contingit, et tunc evadere solent dolores dirissimi, et motibus convulsivis musculorum faciei, rarissime convulsionibus universalibus comitantur *Lentin*; frequentius contingit ut dolor ex uno ad aliud transeat latus faciei *Pujol*, ratio quam *Bellingerus* statuit majoris frequentiae doloris huius in latere dextro quam sinistro, quam hic a nervo paris quinti in hoc latere dextro crassiore derivat, minus arridet; maiorem longe fidem meretur suspicio *Cell. Jos. Frank*, hic nempe hepar hoc in latere situm, functionem illius vario modo turbatam, majoris frequentiae huius doloris in latere dextro accusat.

Quamvis dolor periodicus paulo ante descriptus, essenziale sistat neuralgiae facialis symptoma, tamen etiam alia signa morbosa consensuali modo exorta comitantur, pro varietate nervorum adfactorum, atque pro individuui diversitate varia. Ut clariorem habeamus horum signorum con-

spectum, prius solum nominatenus noscamus oportet, antequam ad specialem eorum explicationem transiverimus, sunt vero: convulsiones musculorum faciei, aut eorum rigor, motus convulsivi, aut plenarie impediti, spasmi clonici corporis totius, vires mentis alienatae, animi pathemata, sensuum externorum et coenestheseos alienationes, morbosus status aut totius systematis sanguiferi, aut singularum saltem partium, organorum secernentium alienationes, tandem viscerum abdominalium et pectoris adfectiones morbosae.

Sub accessu dolorum praecipue muscoli faciei, uti: levatores labii superioris, levatores anguli oris, masseteres, saepe etiam buccinatores, imprimis si dolor integrum latus, aut ambo teneat latera, convelluntur; si morbi gradus levior sit; ubi vero is maior fuerit rigent, et risum sardonium efficiunt, loquela ob paralysem linguae quae non raro crassior persentitur denegata, manducatio, deglutitio impedita, sic in *Hufelands Journ. d. pract. Heilk.* B. LVI. St. 1. S. 56—65. refertur, quod nonnulli aegri cibos diu, saepius per medios dies appetitu de cetero bono existente, considerare coacti fuerint, quin de iis comedere auderent, cum metuerent, ne per motum labiorum aut masticationem dolorem sibi revocent; motus colli aut plane non aut difficulter solum modo conceditur; sed datur exceptio, ubi difficultate prima superata aeger manducare, deglutire, et collum movere valuit, quo voluit.

Strepitum (das Schmaßen) quod cum motibus convulsivis, involuntariis cohaeret, aliqui medici observarunt, ubi alii se id nunquam audisse memorant.

Non raro palpebrarum tremor, aut constrictio spastica, vel oculi, facultate visus penitus privati, aut dyplopia affecti, ex orbita sua protrusio observantur sub doloris insultu; ipsae palpebrae rubent, oculi turgent, photophobia laborant, epiphorae corripuntur larga, etiam cacteri organismi systema musculare imperio voluntatis subiectum doloribus afficitur, ita ut aegros sub ipso paroxysmo conscientia privatos in terram, aut in genua concidentes viderint medici, aut vero superato insultu tam debiles evadunt, ut se erectos tenere non valeant, vicinisque corporibus acclinare cogantur, ne in terram labantur; aut vero musculi omnes motibus convulsivis corripuntur.

Functiones cerebri, praeter debilitatum intellectus vigorem, haud turbantur, verus mentis stupor fere nunquam

prosopalgiae junctus fuit, animus ut plurimum deiectus est, ita, ut iam *Aretaeus Cappadox* dicat: vita ipsis invisae est, mortem discipiunt. “

In consensum quoque trahuntur organa sensuum externorum, et quidem vel acumine, aut torpore, aut perversitate laborant, sic non raro oculi aspectum parietis albi horrent, continuo tenebras quaerentes; ubi contra alii prosopalgia amaurosi iuncta laborant; prosopalgiam dyplopie nexam vidit *Rademacher*. Similiter quoque olfactus afficitur, notandum tamen de eo, quod saepe deletus solum sub morbi insultu vigeat. Auditus quoque in prosopalgia vel acumine afficitur, ut omnis strepitus major minus grate adficiat, continuumque tinnitum causet; cum barycoia incedentem prosopalgiam observavit *Mazius*; etiam reliqui organismi partes sunt sensibiliores, quae sensibilitas in causa est, ut si levissime tantum contingantur, illico doloris exacerbationem provocent, hoc imprimis de frictione haemorrhoidum coecarum adnotavit *Reil*.

Capitis totius et faciei sensibilitas est tantopere exaltata, ut nullibi capite incumbere possit, et levissimum etiam attactum abhorreat prosopalgia affectus, non raro capitis interiora dolore affliguntur, ut aeger cerebrum in vase clavis obsito circum agitari putet.

Odontalgia saepe tam gravis affligit, ut in frustula cum fragore disruptos collabentes viderit dentes *Chaussier*.

Quamvis nonnulli auctores in hoc morbo nullam observarent febrim, imo potius pulsum tardiozem; alii tamen pulsus citiores, licet parvos, contractos, ac tremulos invenerunt. Systema sanguiferum in compassionem in prosopalgia trahi assumere debemus, ob variam huius morbi indolem, inflammatoriam, rheumaticam, quae semper cum febris incedunt, ideo tamen non affirmamus omnem prosopalgiam febris iungi debere. In copiosissimis casibus facies turgescit et rubet, e quo rubore ophthalmo — conjunctiva quoque participat, qui non raro terminato etiam insultu adhuc diutius perstat, ipsae palpebrae etiam, aut saltem eorum margines rubent et inflammati sunt, mucumque purulentum fundunt, saepius latus affectum pallescit, non raro livet sub insultu prosopalgiae. Tumor sub insultu a congestione sanguinis et circulatione impedita ortus, probe distinguatur ab eo, quem musculorum contractio spastica permanens causat; non raro facies, collumque tam cito intument, ut collaria citissime removeri debeant. Observa-

tae sunt venae iugulares turgidae, arteriae temporales calami scriptorii instar dilatatae, et ut chordae tensae tangendae, carotides fortius vibrantes, ictibus tamen non acceleratis, respiratio tarda, anxiosa, inaequalis, pulsus iam magni et tardi (50—55) intra minutum primum; iam e contra accelerati, parvi, tremuli, contracti.

Striae etiam veluti vibices in fronte ad nasi radicem extensae, a pluribus sub dolorum fastigio videndae, eo mitigato sensim evanescentes, observatae sunt. Simul etiam limbria conspicitur gingivarum, rubra, laxa, facile sanguinem plorans, quin ideo dyscrasia scorbutica adesset.

Secretiones quoque vario perturbantur modo, quod ut plurimum circa finem doloris fit; sic observarunt: epiphoram *Mazius*, fluxum limpidi muci nasalis *Biende*, ptyalismum *Reil*, flatuum secessum, et horum intollerabilem foetorem *Lentin*, (licet etiam absque flatuum secessu atmosphaera aegrum circumdans, minus grate olere soleat); has secretiones sub ipso morbi insultu, doloris decrementum causare facile explicari potest.

De Symptomatibus quae a sympathia inducuntur cum visceribus cavi abdominis, et illis cavi pectoris, inferius ubi de prognosi egerimus uberius dicetur.

Similis paroxysmus communiter noctu invadit, et per vigiliam causat, hoc molestum symptoma medici magnis dosibus narcoticorum dispellere satagunt, insultus autem vel repente adoritur, aut vero prodroma habet signa, quae sunt: anxietas magna praecordiorum, inquietudo, respiratio molesta, laboriosa, suspiria profunda, palpebrarum, bulborumque motus tremulus, tensio molesto pruritu stipata se extendens per palatum molle, supercilia, regionemque supra et infra orbitalem, titillatio in partibus affectis ad scalpendum invitans, quo dolor summopere exacerbatur, affectiones rheumatico catarrhosae, capitis gravedo, corysa cum naribus siccis, rarius febris, morbo tardius evolventi praecedere solent.

Duratio insultus est diversissima, ita ut nunc paucis solum minutis secundis, vel unico, aut aliquot minutis primis affligat, raro ultra quartam horae partem, raro per horam, uti *Frank* observavit in iudaea Vlnensi, rarissime in horas aliquot protrahatur, *Mazius* quinque, Ill. *Swietenius* 8 horarum insultum observarunt, sic et *Sauter* insultum per diem integrum et dimidium dolorem indesinenter perstare vidit, qui tamen casus ad rarissimos referendi

suat; duratio singuli insultus se in ratione inversa cum doloris atrocitate habet, ut quo is vehementior fuerit, eo breviori duret tempore. Insultus tactu, aut musculorum faciei motu inductus brevior, et mitior solet esse, eo, qui sponte adoritur. Oedematoso lateris affecti, vel totius faciei tumore; et convulsivo musculorum faciei motu, insultuum durationem, et vehementiam minui, observatio plurimorum est. Paroxysmus talis vel sensim, vel de repente, uti accesserat evanescit, in hoc postremo casu saepe fragor peculiaris, ac si horologii rotae citissime decurrerent, in aure lateris affecti perceptus fuit, vel sensus percipitur in facie, quasi ossa disrupta et imminuta essent, aut quasi totus elaberetur vultus. Secretiones superius commemoratae saepissime paroxysmo finem imponunt; uti id de epiphora, ptyalismo si pes anserinus praecipuam praebeat sedem doloris, mucii fluxu uberiore e naribus, et flatuum erructatione constat; et quo citius haec ingruunt, eo citius etiam paroxysmus terminatur; nonnunquam miliaria, erysipelas, aut tumor oedematosus in gena, vel pustulae in loco dolente crustis obiectae, vel serosa exsudatio in mento, aut tumores molliuseculi ac phlegmonoides diversae magnitudinis, quales in articulari arthriticorum observantur, ad paroxysmi finem exoriuntur. Peculiaris etiam visa est sympathia inter dolorem faciei et scrotum.

Libera intervalla, quae paroxysmos sine typo recurrentes separant; ad horas, dies, septimanas, menses, quin imo ad annos extenduntur. Si vero morbus continuus esset, tunc exacerbationes manifestae iam pauciores, iam plures per diem ingruunt, rarissime typica longe frequentius atypica observatur neuralgia facialis. Insultus iam sua sponte invadit, iam vero irritatio aliqua accedens eum provocat, uti: tactus etiam levissimus partis affectae, aut vero illius motus, sic excitari valet odore grato aut ingrato, sed etiam absque irritatione externa provocari valet; sic refert *Reil* casum, ubi si oppositum latus corporis tangeretur, aut fricaretur, dolores faciei inducti sunt; nonnulli ad tempestatis mutationes, praecipue de autumno, aere humido frigido mali exacerbationem observant. Duratio totius morbi multum variat, raro uno, aut duobus contentatur insultibus, sed longe saepius fit malum chronicum per menses, et annos plures decursum suum extendit; sic refert *Lentin Auserlesene. Abhandl. f.p. Aerzte. B. 3. St. 1. S. 160* de puella in qua neuralgia per suppres-

sionem scabiei enata eam a 19o aetatis anno usque ad finem vitae, annum 72 aetatis afflixit.

Differentiae diagnosticae ab aliis morbis.

Haud supervacaneum erit, adungere differentias, quibus prosopalgia ab aliis morbis similibus discerni valeat, quamvis *Cell. Ios. Frank* dicat „prosopalgiam vix errori in diagnosi subiici posse; licet signo pathognomonico careat quis tamen quaeso, morbum supra definitum, si illius symptomata omnia in mentem revocaverit cum rheumatismo musculorum faciei, vel cum hemicrania, vel cum trismo, vel cum odontalgia confundet; nihilominus tamen, ob magnam quam fovet affinitatem cum his morbos adfectionibus, non inutilis erit accuratior expositio differentiarum diagnosticarum.

Morbi vero cum quibus magnam fovet analogiam, et a quibus discerni debet sunt:

1-o. Odontalgia, a qua prosopalgia sequentibus differt: dolor in hac ex maxillis, aut alveolis exoritur; in prosopalgia vero ex angulo interno orbitae, vel ubi nervus infra orbitalis prosilit, vel ex ala nasi, vel ex angulo externo maxillae inferioris, ex palato et regione supraorbitali. Odontalgiam saepe dentium caries, aut gingivarum inflammatio praecedit, dolorque est magis constans, et calidum tumorem alveolorum aut maxillae comitem habet. Prosopalgia momentanee adoritur, quin accedat causa manifesta, sicque etiam ita repente cessat; odontalgiam vero praecedunt causae, ita non raro potus et cibi frigidi in dentem ne fors cariosum pervenientes, neque ita fulminee oritur dolor, estque fixior, non pungens; aut terebrans. Neuralgia facialis etiam edentulos comprehendit, et raro affligit homines ante 30 aetatis annum; odontalgia vero juvenilem, imo puerilem aetatem ante dentitionem secundam excruciat. Dolor facialis evulsione dentis non raro augetur nunquam lenitur, dolor vero dentium remoto per extractionem carioso dente cessat. Prosopalgia contactu leni partis affectae augetur, rudiori mitigatur aut penitus suffertur; dum dolor dentium leni affricu gingivae mitigatur rudiori vero exasperatur. Prosopalgia ut plurimum de die; odontalgia noctu affligit.

2-o. Dolor faciei rheumaticus, a dolore faciali sequentibus dignoscitur characteribus: rheuma faciale e topico oritur refrigerio; licet nonnunquam etiam pro-

sopalgiae ansam praebeat, rarius tamen id contingere solet, nam saepe nulla causa assignari valet, rheuma in lecti calore et circa vespas exasperatur; dum prosopalgia noctu quiescit, et nec caloris augmentum tantum exserit imperium. Rheuma rarius longo silet tempore; ex adverso prosopalgia, indoles doloris rheumatici, hic est magis obtusus, in prosopalgia vero, volatilis, electricus, pulsans, rodens, terebrans; dolor rheumaticus est ut plurimum vagus, per diaphoretica leniendus aut tollendus, dum faciei dolor, per commemorata pharmaca raro lenitur; adhuc rarius suffertur; rheuma etiamsi vehementius, irritatione externa non augetur, imo sedatur, dum prosopalgiam levissimae iam contrectationes excitant, maximopere denique notandum febrim in rheumate rarissime desiderari, dum e contra in prosopalgia fere semper abest. Has differentias adfert Masius, in *Hufeland's Journ. d. practisch. Heilk.* B. XXV. St. 1. S. 27.

3-o. Hemicrania confundi posset cum dolore faciei; differt tamen ab eo in sequentibus: nam dolor in illa capitis interiora detinet; cum in hac externa occupat, dolor porro in hac a foramine orbitali, vel fissura trochleari, vel interno oculi angulo, aut nasi radice incipit, egressus vero decursum sequitur nervi orbitalis superioris, vel supra vel infra trochlearis in latere dextro, cum in hemicrania nulli alligatur nervo, ad amplam encephali lateris plerumque sinistri superficiem extenditur, quod hemicraniem communiter praecedant aut universalialia aut partiarialia molimina arthritica, insequitur enim quam maxime podagram suppressam, praegressis motibus febrilibus, et laesa digestionem, in prosopalgia horum nil observatur.

4-o. Dolores osteocopi differunt a prosopalgicis; dolores enim osteocopi noctu praeprimis excruciant, et non intermittunt, de die vero quiescunt.

5-o. Trismus differt a prosopalgia; morbus hic semper naturae est spasticae, musculos oris, mandibulae inferioris solum afficiens, permanens, acutus, et brevi laethalis, non minus characteristicum est, quod prosopalgia adultos, trismus infantes communissime comprehendat.

6-o. Afectiones antri Hyghmori, ubi nempe aut mucosa aut purulenta contigisset collectio, ab his distinguitur dolor facialis: dolore magis superficiali, minus extenso, acerbissimo, lacerante, mucii secretionem e naribus haud impedita; cum ex adverso, dolor in adfecto

antro Hyghmori permanens; premens, magis extensus est, quocum narium secretiones simul cohibitae incedunt.

7-o: Inflammatio articulationis maxillaris: differt vero, in hac dolor ad regiones articularum maxillarum limitatur; sub omni maxillae inferioris motu excitandus et augendus, de caetero pungens et permanens est.

Sectionis Resultata.

Alienationes morbosae, quae per sectiones pathologicae innotuerunt, vel in loco doloris, vel remotius ab eo inventae sunt: sic a *Sprengelo* refertur casus, ubi tunica nervorum faciei adfactorum extensa, et sero plena reperta erat, *Woskresensky*, *Tribault*, et *Marchal*, tumorem scirrhosum ad latus dextrum protuberantiae iacentem, detexerunt, qui nervum trigeminum ad ejus originem circumdabat; sic etiam in *Julius* et *Gersons Magazin. d. ausländ. literat. d. gesamt. Heilk.* Band. 11: S. 504—505. referuntur duae sectiones cadaverum ex prosopalgia demortuorum a Dr. *Belcher*, una a *Tyrrell* facta, ubi ex pia matre duae spongiosae excrescentiae procrevere, una in latere dextro penes sellam tureicam, cum nervo trigemino, et quidem ramo illius secundo et tertio praecipue coniuncta, et in eos pressionem exserens, altera excrescentia magnitudine ovum gallinaceum aequans, et cum priori nexa, per has ambas excrescentias pons varoli et medulla oblongata, ex suo remota erant loco; alter casus refertur ab *Astley Coper*, qui exostosis detexit; alii cerebri substantiam nunquam mutatam reperierunt.

A e t i o l o g i a.

Quaenammodum in omnem, ita et in hunc morbum, duplicis generis causae necessariae sunt: praedisponentes et occasionales, causam vero proximam nos hucdum ignorare confiteri oportet.

Causae in morbum praedisponentes. Si organismi relationes, sub quibus haec morbi forma saepius evolvitur, attentius lustremus, inveniemus sexum sequiorem, virili, magis dispositum esse, praecipue tempore illo, quo catamenia aut parcius fluere incipiunt, aut vero penitus iam silent (quod intra 35—40 aut 45 annum

contingere solet), quod asserunt *Fothergill* allique, sic etiam *Dr. Elsaesser* refert casum morbi haereditarii in *Hufeland's Journ. d. pract. Heilk.* Band. LIX. St. 2. S. 38—43. ubi duae sorores ea periodo, qua catamenia cessarunt, morbo hoc diro excruciantur per annos complures, donec tandem sub tali insultu vehementi ex eo obirent, frater illorum aequae eandem cum illis expertus est sortem obiit nempe anno aetatis 47-ō, Pater illorum non quidem prosopalgia, sed nevralgia manus anno aetatis 68-ō corripiebatur, quae ipsi anno aetatis 73-ō ob vires labefactas vitam ademit; alii inter hos et recentiores negant sexum foemineum magis esse dispositum in hunc morbum, si omnia rite consideraverimus, viros aequae ac foeminas aequaliter adfici deprehendemus; tempus tamen quo exoriri solet consuetum, est vitae humanae medium, observationes vero docent quod a 9—84 aetatis annum subiecti sinus morbo. Evictum etiam non est, utrum in regionibus septentrionalibus, aut meridionalibus saepius occurrat; quod nec Galliae nec Angliae parcat, historiae de hoc morbo per *Fothergill* aliosque relatae, testantur, sic testantibus observatoribus medicis in America quoque occurrit, tantum hoc est evictum regiones calidas minus diligere. — Prosopalgia praediligit temperamentum sanguineum, aut cholericum virorum, ossium systema bene evolutum, systema vasculosum uberius efformatum, praecipue venosam eius partem, et quam maxime systema venae portarum praedominans; frequentissime observatus est morbus consensu plurimorum auctorum, in subjectis arthriticis, syphiliticis, rheumatismo chronico, ischiade, et morbis cutaneis affectis, infarctibus viscerum abdominalium, haemorrhoidibus, hypochondria, plica polonica, scrophulis et scirho laborantibus; foeminas praecipue hystericas, aut eas quae de cetero quidem robustae sunt constitutionis, sed per partus frequentiores cito subsequentes magis enervatae, aut vero quae anomaliis menstruorum; aut mammarum, aut uteri scirho, vel leucorrhoea laborant, magis disponuntur in hunc morbum; magis etiam disponit teneritas, et sensibilitas cutis quae adquiritur per sollicitam vitiationem aeris externi, cutis nempe deservit ab hoc stimulo, hinc facile refrigerium admitti valet, quo admissio morbus non una vice excitatus fuit, sic refert *Mazius* in *Hufeland's Journ. d. pract. Heilk.* Band. XXV. St. 1. S. 24. de quapiam *Domina*, quae sal-

tui iusto plus indulgens corpus exaestuavit adeo, ut sudore ex integro maderet, nunc aëris tractui se exponens refrigerium admisit, quo facto illico herpes, quò aegra adfecta fuit per plures iam annos, retrocessit, pauloque post dolores vehementissimi in facie comparuerunt. — Animi pathemata praecipue ira, terror, metus, etc. magnum habent influxum in morbum producendum, sic refertur in *Hufeland's Journ. d. pract. Heilk. Band. XXXV. St. 4. S. 111.* casus unius viri annorum 28-o. robustae de cetero constitutionis, qui postquam decapitationem sex condempnatorum conspexisset, tanto terrore afficiebatur, ut illico delassationem totius corporis persentisceret, et solum magna cum adstrictione domum reverti valuit, circa vespas vero vehementi correptus est nevralgia faciali lateris dextri. Saepe tamen nulla ex causis hucdum allatis locum habet, sed individuum apparenter sanum comprehendit.

Causae morbum excitare valentes, sunt diversae quae in locales et universales quam aptissime separantur: ad locales referuntur ante omnia eae potentiae quae topice malum producere valent; uti sunt: laesiones, pressionones, distorsiones, aut vulnera alia, nervis faciei, aut partibus vicinis illata, tubercula et ganglia in nervorum decursu, aut tumores nervos comprimentes; angustatio canalium ossium per quos nervi decurrunt, vitia auri Hygromi, larvae oestri bovini, in sinu maxillari aut alio haerentes nervos vellicant; mucus et sordes in sinu maxillari collecta, dens cariosus, eruptio dentis sapientiae, vel dens extractus, refrigerium capitis et faciei, praecipue si hae partes in sudore constitutae fuerint; aliae causae quae sympathico modo agunt, et quidem per consensum, huc spectant: chronica debilitas viscerum abdominalium, infarctus horum viscerum, vermes intestinales, aut per antagonismum; huc spectant: exanthemata aut impetigines retròpulsae, difficilis solutio placentae, podagra evanida, fluxus aurium cohibitus, blennorrhœa insons, eo magis syphilitica suppressa, ulcera chronica minus caute consanata, aut perverse sanata, fluxus catamenialis suppressio, ita etiã suppressio fluxus haemorrhoidalis, sudoris habitualis, retentio urinae, diarrhoea, aliaque profluvia habitualia praecocius dispulsa. Ad causas universales numerantur: cachexia syphilitica, carcinomatica, arthritica, transpiratio suppressa, abusus potuum spirituosorum, ani-

mi pathemata, imprimis moeror gravis, et diuturnus; ira cohibita, terror, pavor, repentine incussus.

Causae paroxysmum excitantes.

Si morbus in organismo radices fixit, tunc paroxysmos singulos provocant animi affectus excitantes, licet *C. Jos. Frank.* narret casum, ubi terror vehemens malum atrox per duos iam annos silens non excitavit, provocatur a luce nimia, per attactum leniorem partium adfectarum, a manducatione, tussi violentiori, sermocinatione aut risu; tempestas quoque magnum habet influxum, ita, ut instante procella morbus producat et exacerbetur, contrarium contingat coelo sereno; non mius imperium exserit ventus ad provocandum insultum, alias scilicet sub vento solano, alias sub vento boreali provocatur; diei quoque decursus in nevralgiae facialis insultus excitandos non parum confert, ita quidem, ut de die nonnunquam, noctu vero ut plurimum revertat paroxysmus, praeprius vero id valet de prosopalgia rheumaticae, arthriticae, aut syphiliticae indolis; ipse tandem status electricus atmosphaerae, vel aliae huius fluidi elastici mutationes prosopalgiae insultum determinare videntur.

Causa proxima.

Causam proximam quam auctores diversi variam statuunt, hic in succincto exponere propositi est:

Cell. André metastaticum scabiei et herpetis accusat, aut ab humore catarrhali vel pituitoso repetit.

Fothergill indolem caucrosam pro pathogenia mali statuit, cui sententiae *Selle*, *Vogel*, *Hedin* et alii accessere, licet hoc assertum *Haighton* et alii recentiores sufficienter expugnaverint.

Leidenfrost catarrhalem morbi naturam suspicatus est, cui *Brieude* et *Borden* quoque accedunt.

Weisse peculiare assumit humores in nevrilematis vasis minimis, qui nervos comprimerent, et medullarem substantiam irritarent.

Valentin ab Hildenbrand pro febre intermittente larvata habuit.

Pujol et *Thouret* crethismum nervorum incusarunt.

Souvages, *Valenzi* membranae mucosae infarctus, aut pituita in sinibus congesta, nervos orbitarios comprimantia, pro morbi causa proxima explicare nisi sunt.

Boehmer, Conradi, mali fontem in visceribus abdominalibus quaerendum, morbumque indolis arthriticae esse dicunt.

Menuret, Laugier, P. Frank aliique plures naturae dynamicae mereque nervosae dixere.

Bonnard, Longavan, Sprengel cum ischiade comparant prosopalgiam, utramque tandem pro specie arthritidis chronicae habent.

Vogler, Gmelin, Rhan, Walther infarctus viscerum abdominalium eorumque torporem incusant, quod *Lentin* simul asserere videtur.

Rademacher pro specie rheumatis capitis habet.

Siebold, Selle, Degner, Ritter naturae arthritico rheumaticae malum esse credunt.

Wedekind, Nob. a Raimann neuralgiam facialem rheumaticam viderunt.

Bertholon de la Lazare proximam causam prosopalgiae in accumulatione electricitatis invenisse credidit; eisdem esse naturae *Pujol* arbitratus est, hinc usum fonticulorum commendavit.

Steinbuch opinionem statuit, qua confirmat dolorem facialem odontalgiae, et cephalae rheumaticae formam singularem praeseferre, quin naturam phlogisticam neget. Quam sententiam ex rubra gingivarum fimbria huicce morbo quandoque conveniente, derivare conatus est.

Mazius pro frequentissima causa syphilidem statuit; nihilominus confirmat stimulos gastricos, et acre herpetis huicce morbo subesse, quamvis hocce raro simul occurrere asseruerit. Etiam *Watson* prosopalgiam huius indolis observavit.

Alii prosopalgiam malum mere topicum constituere suspicantur. Pro hac sententia pugnant: a) Morbus sanissimos saepe adoritur. b) Eius raritas, ubi enim cum dictis morbis coincideret, frequentius observari deberet. c) Therapiae internae effectus optatus rarissimus. d) Mali suppressio nervo dissecto aut alio modo desorganisato. In hanc sententiam *P. Frank, Richter*, recentissime *Mazius* aliique inclinant. *Chaussier* et post eum *Galli* omnes, dein *Haase, Löbenstein — Löbel*, plurimique recentiorum malo inflammationem nevrilematis subesse statuunt.

Assumpta hac de morbi indole idea, plurimorum sententiae conciliari poterunt, sive enim acre canerosum, scabiei, herpetis, sive rheuma, arthritis, syphilis subsint,

haec remotiorem solum prosopalgiae causam sistere videntur, in quibus omnibus inflammatio nevritematis, proximam generis morbi culpam, sublatare potest.

Bellingeri prosopalgiam nunc indolis inflammatoriae, nunc irritativae, nunc nervosae esse affirmat.

Hartmann in asthenia directa morbi naturam haerere credit, dicens: prosopalgiae causam proximam auctam esse in loco adfecto incitabilitatem, eiusdem in paroxysmo explosionem.

Quod nostram concernit sententiam, hanc experientia et theoria fundatam esse credimus, si non ad unicum morbi indolem, sed ad omnia quae refert specimina respexerimus; morbi scilicet characteres ex diametro oppositos separantes, eorumque singuli modificationes affines sub unico titulo cui respondent amplectentes. Sic distinguimus prosopalgiam *inflammatoriam*, hanc subdividimus in traumatico-rheumatico-et metastatico-inflammatoriam; prosopalgiam *nervosam*, hanc denuo subdividentes in hypochondriaco-aut hysterico-consensuali-antagonistico-et symptomatico-nervosam; porro statuimus prosopalgiam arthriticam, syphiliticam, carcinomaticam, et eam, quae ex desorganisatione nervi adfecti, aut partium vicinarum emergit.

Ratio cur neuralgiam facialem in sex principales separaverimus species, cuilibet clarum evadet, qui sequentia momenta nobiscum pervolverit:

a) Frequentius statum phlogisticum prosopalgiae subesse, causae, symptomata, et therapia antiphlogistica non raro optimo effectu adhibita, nos in hanc opinionem deducunt; quis etiam erit, qui omnem dolorem ex suppressa transpiratione, aut metastasi, aut causa traumatica ortum, illico pro nervoso declararet, vel symptomata inflammationis topicae essentialia, uti sunt: rubor, tumor, calor ab incitabilitate aucta vel imminuta, aut debilitate directa vel indirecta repetet? quis tandem astheniam nerveam directam, vel indirectam remediis antiphlogisticis uti: depletionem laticis cruenti curabit? hanc speciem in plures subdivisimus varietates, et quidem in traumaticam, licet. *C. Hartmann* hanc prosopalgiae inflammatoriae varietatem neget, minime tamen intelligimus cur vulnera, aut aliae faciei aut capitis laesiones, nervis admodum divites non doleant; eo magis cum sciamus omnem laesionem in alia organismi parte inductam dolere, cur non idem

conclingeret in nervis faciei, praeterea revocando in memoriam et illud, quod nervus vulneratus non semper ex integro laedatur, uno nevrilematis ope in nonnullis cohaereat locis, atque omni musculorum motu tendatur, per quam tensionem dolores statim emergunt, et si porro sententia *Cell.* virorum in considerationem summatur, qui prosopalgiae traumaticae existentiam confirmant, nos quoque compellimur, ut credamus hanc varietatem prosopalgiae inflammatoriae existere.

Quod prosopalgiam rheumatico inflammatoriam concernit, hanc certo nemo in dubium vocabit, qui naturam phlogisticam cuiuscunque rheumatismi, et indolem nevrilematis fibrosam, cui rheuma praeprimis favet, agnoscit. — Similiter quoque nevralgia facialis metastatico inflammatoria statui potest, si ad tantos morbos animadvertamus, qui ex simplici metastasi emergunt, et quorum character tam aperte phlogisticus est, qui encephali aut pulmonum inflammationem ex impetiginibus aut exanthematibus retro pulsus ortam etc. noscit, certo ei nunquam in mentem veniet hanc prosopalgiae speciem in dubium vocare.

b) Prosopalgia naturae nervae; haec a plurimis medicis sola statuta, aliaeque species omnes negatae, sed nec mirum, si morbi sedem in nervis, eiusdem periodicum plerumque decursum, nevrosibus praeprimis solennem, majorem deia frequentiam, atque fontem unde morbus emergit, sat saepe incognitum (quo in casu medici ad vitium organicum, aut nevrosim confugiunt) perpendamus; quin ideo alias prosopalgiae species negare valeamus. Quod vero modificationes concernit quas prosopalgia nervea admittit, ut has recte statuamus, ante omnia totius systematis nervosi alienatio, et morbosa sympathia, quae inter systema gangliorum et cerebrale intercedit rite noscenda est. Magna quidem est symptomatum in hypochondria et hysteria copia, quae in totius nervosi systematis mutatione sive dinamica, sive materiali (quae seorsim cogitari non possunt) sita sunt; cum autem omnia quae in conspectum veniunt phaenomena, vel ad hallucinationes, vel ad sensus ingratos, aut dolores, aut ad omnia simul spectant; hinc nil obstat quominus dolores prosopalgici indolis hystericae aut hypochondriacae esse possent, imprimis si ad clavum hystericum, dolori faciei admodum similem respiciamus, et illud in mentem revocemus, quod foeminae hystericae et viri hypochondriaci huic morbo plerumque subiecti

sint. — Memoratu digna quoque est, prosopalgia nerveo consensualis a gastricis stimulis, aut vermibus orta, et certo nullius fugiet intellectum, similes potentias nocentes neuralgiam facialem ex consensu provocare posse, qui cephalicam, trismum, et alios dolores spasticos, ex causis gastricis, excitantibus creberrime oriri vidit. — Quod vero prosopalgiam nerveo antagonisticam attinet, haec in oppositione, quae systema gangliorum inter et cerebrale viget, fundatur; hinc si vita systematis nervosi vitae vegetativae torpet, vis vitalis in sensorio communi, et singulis eius nervis exaltatur, tantopere: ut levis iam stimulus, imo proprius textus organicus, nervos ambiens, aut iisdem vicinus, arteriarum pulsus, musculorum motus etc. iam sufficientiant ad excitandum dolorem in parte organica; similiter etiam prosopalgia nerveo antagonistica exoritur, ob eundem nexum in corpore organico; sic sentiuntur non raro dolores obtusi in pede v. g. dextro, aut brachio eiusdem lateris, ab hepatis infarctibus (pressione scilicet nervorum hoc viscus adgredientium, et cum aliis junctorum); ad hanc speciem videtur quoque pertinere casus ille a C. Ios. Frank adductus, quem ab infarctu hepatis derivat.

c) Prosopalgia indolis syphiliticae; huius existentia demonstrari potest a similitudine, quae occurrit inter dolores osteocopos syphilidis universalis, et dolores faciei, ex sede morbi eadem, nempe nevritemate, dein etiam ex maiori frequentia morbi syphilitici, quem saepe aegri celare student, et a bono effectu, quem non raro ab hydrargyri praeparatis experitur, licet hoc non semper naturam morbi syphiliticam demonstret, quod infra clarius exponemus.

d) Cum arthritis effectus suos noxios in organa naturae fibrosae exserat, nevritema vero illius sit indolis, individua prosopalgia adfecta adultioris aetatis, et ipsa arthritide saepius detenta sint, ipsique dolores arthriticam indolem manifestent, iamque noduli arthritici in facie exoriantur, et morbi paroxysmo finem saepe ponant, dubitare non possumus hanc indolem prosopalgiae non existere.

e) Licet C. anglus medicus *Fothergill* carcinomaticam huius morbi naturam defendat, contradicit ei *Haighton* in *Samml. auserl. Schriften Band. 20. St. 1—2. S. 179.* neque nos ex integro accedere possumus illius sententiae, quin ideo negaremus hanc speciem; nam confirmatur eius existentiae possibilitas, quod saepe aetatis adultioris individua morbus hic prehendat, in quibus metamorphosis reducens

praevalere inchoat, imo quod plus est, adfectiones carcinomatosae, in aliis corporis partibus simul cum prosopalgia praesentes sunt, uti: mammarum et uteri scirrhus, ultimo denique quod tumor scirrhus, in parte faciei adfecta non raro emergat. Sic ad probandam suam sententiam refert Cell. hic medicus in *Sammlung auserles. Schrift. Band. 3. St. 2. S. 152.* quatuor foeminas observasse prosopalgia affectas, in quibus omnibus tumores scirrhosi dolorifici praesentes erant in mammis, et ex his in duabus foeminis dolores in tumoribus mitigabantur, postquam prosopalgia intensior evasit.

f) Prosopalgia a vitio organico inducta cognoscitur; si nec status inflammatorius, nec natura nervea, nec cachexia qualiscunque subversetur, omnique pharmacorum apparatus (excepto auxilio chirurgico, a quo solo levamen exspectat) resistat.

Quibus omnibus illud adnectere debemus, minime nos defendere singulam speciem seorsim occurrere debere, possunt enim plures harum specierum simul coniunctae incidere, quarum complicatio summae est dignitatis in diagnosi, atque therapia.

Morbi divisio.

Morhi sedem respiciendo quem prosopalgia tenet, dividitur a *Chaussier*: in prosopalgiam frontalem, infraorbitalem, et maxillarem; cui divisioni *Bellingeri*, eam septimi paris addidit; quo praeunte morbum sequenti distinguimus modo:

1). P. nervi ophthalmici; in hac morbus atrox haeret in ramo frontali, et dolor a supercilio ad capitis verticem extenditur, aegri sensus talis est, quasi pericranium avelleretur, sed et palpebrae, ipseque oculus dolore corripuntur, typum febris intermittentis aemulat, typicusque esse solet. Dum nervi ipsius oculi, sive ciliares, sive lachrymales, vel infratrochlearis propagines adficiuntur, tunc interiora oculi dolent, bulbus rubet, illachrymatur, et tharsi grumis obducti inflammantur, aeger vomitu corripitur bilioso; si vero nervi nasales quinti paris, sedem neuralgiae constituent, tunc sub forma coryzae periodice recurrit.

2). P. nervi maxillaris superioris; hac in specie symptomata variant, prouti vel omnes, vel aliqui

tantum nervi huius rami adficiuntur. Dolor nempe, vel ad foramen infraorbitale, vel ad os zygomaticum, interdum ad dentes ipsumque palatum saeviens, musculos labii superioris, nasi, palpebrarum, palati, et pharyngis, in motus convulsivos excitat, profluit dein saliva copiosior, vel mucus nasalis, typus huius neuralgiae ut plurimum anomalus est, raro regularis.

3). P. nervi maxillaris inferioris; hic dolor ex foramine menti emergit, et ad labia extenditur, typus scire semper irregularis; hic memoranda quoque illa prosopalgia, quam in lingua et dentibus saevire observavit. (*Reil*)

4). P. Septimiparis, seu raptus caninus *Caelii Aureliani*, cuius symptomata praecipua sunt: dolor totum latus capitis et faciei occupans, praepriis tamen in processu mastoideo, in occipite, vel maxillae inferioris angulo saevit, ad collum et claviculam se se extendit, spasticae adfectiones capitis, faciei et colli, trismus dolorificum, aut torticollem producunt, motus harum partium impediti et dolentes sunt; corporis situs erectus difficilis, vox suppressa, aut in eulatus errumpit.

Morbi indolem respiciendo quam prosopalgia praesert, dividitur in inflammatoriam haec subdividitur in traumatico — rheumatico — et metastatico inflammatoriam, dein in prosopalgiam nerveam, quae subdividitur in hypochondriaco — aut hysterico — consensuali — antagonistico — et symptomatico nervosam, dividitur porro in arthriticam, syphiliticam, carcinomaticam, et eam, quae ex desorganisatione nervi adfecti, aut partium vicinarum emergit; cognosci autem possunt hae prosopalgiae species, secundum morbi indolem stabilitae, partim ex symptomatibus singulae speciei propriis, partim vero ex aliis momentis diagnosticis, ex causis praedisponentibus, et excitantibus, decursu, atque therapiae adhibitae effectu. Sic prosopalgia inflammatoria adgreditur individua plethorica, laute viventia, aut ubi profluvia imprimis cruenta suppressa sunt, uti: catamenia, haemorrhoides; in his casibus pulsus aut plenus, tensus, aut vero parvus sed durus et celerior tanguntur, vasa faciei praecipue sub insultu dolorum turgent, mane dolor exacerbatur, noctu remittit. — Ad nervosum characterem concluditur si foeminas hystericas aut viros hypochondriacos, aut qualicumque nevrosi delecta comprehendat individua. — Neuralgiam arthriticam

evincent symptomata essentialia aut universalia, aut verotopica cachexiae arthriticae, quae vel iam ante morbi evolutionem praesentia fuere, aut simul coexistunt. — Idem valet de prosopalgia indolis syphiliticae, quam etiam ex suis signis, in specie ex indole dolorum cognoscemus. — Prosopalgiam carcinomaticam intelligemus esse praesentem si ea rite considerata fuerint, quae superius, ubi de natura carcinomatica prosopalgiae uberius disseruimus, dicta sunt. — Quod vero cognitionem illius prosopalgiae attinet, quae a vitio organico suam derivat originem, hanc cognoscemus, ex absentia symptomatum reliquis speciebus convenientium, ex causa; quae morbum producit latente, et ex actu partium affectarum, ubi ganglia, nodi, tumores, indurationes, exostoses, cicatrices distinguuntur, aut verocaries ossium facialis detegitur, et denique ex inefficacia pharmacorum, excepto auxilio chirurgico.

Qui morbi divisionem secundum indolem rite cognovit, facile rationem huius divisionis inveniet, qua prosopalgia in idiopathicam, sympathicam, et symptomaticam separatur.

Prognosis.

Morbus hic atrox admodum difficulter sanatur, et communiter chronicum amat decursum; ita ut non raro per plures annos, imo usque ad finem vitae excruciet. Dolor facialis nunquam sponte sanatur, rarius tamen id contingit, longe frequentius artis auxilio opus habet. Neuralgia facialis non quidem per se, sed per sequelas suas vitae periculosa evadere solet. Comparsente tumore oedematoso genae, exortis in parte affecta, et retro aures tuberculis crustosis saniem copiosam plorantibus; excreto copioso muco e naribus, puriformi non raro; tenso abdomine tympani adinstar; subsecutis diarrhoea et vomitu spontaneis; revocata scabie suppressa; viso herpete in loco dolente, aut conspecto abscessu in palato; morbus mitigatus, aut in sanitatem versus fuit; quapropter etiam fonticuli in hoc morbo bono cum effectu adhibiti sunt, sic etiam blennorrhoea denuo prolucita, neuralgiam ex incerta illius suppressione exortam non una vice devicit; sic etiam reducta arthritide, restitutis fluxu menstruo; aut haemorrhoidali, revocatis ulceribus intempestive sanatis; prosopalgia longas concessit inducias, aut penitus cessavit. Pneu-

monitide, febris intermittente, aut affectione hepatis supervenientibus dolores atrocissimi saepe penitus cessarunt, illis vero devictis rursus saevire coeperunt. Neuralgiae specie alia in conspectum prodeunte, prosopalgia subito saepe cessavit, illa sublata recrudit.

Ob dolorum vehementiam, et plurimum functionum turbas, quas neuralgia inducit, morbus hic merito ad molestissimos et laethales adnumeratur. Transit morbus in partis adfectae hemiplegiam, aut in musculorum partium vicinarum resolutionem, uti: linguae, pharyngis, et inde in impeditam loquelam, deglutitionem, nunc in spasmus permanentem; nunc in chronicum tumorem oedematosum lateris adfecti, aut in eiusdem atrophiam, in cancerum insanabilem, epiphoram chronicam aut ptyalismum chronicum.

Morbus productus totum systema nervosum adficit, et mutat integram corporis constitutionem, et imprimis viscera abdominalia ita compatiuntur, ut digestio labefactetur, infarctus viscerum abdominalium, alvi obstructio pertinax, ischuria oriantur, cum his asthma, memoriae et iudicii lapsus, hyppochondria, melancholia, tristitia, inquietudo, anxietas, pervigilium incedant, et hoc modo cachexiae variae uti: hydrops, ascites, atrophia corporis consociatae, febre vero raro accedente, enascuntur, quae vitae finem imponunt.

Neuralgia quae ex vitio encephali occulto fovetur immedicabilis est; nam serius ocius mors insequitur. Praeterea experientia multiplici constat, morbum facilius sanari in viris mediae aetatis, quam in foeminis, vel vero adultioribus, facilius recens et typicus, quam atypicus et inveteratus. Momentum dignissimum est, causae occasionalis consideratio, in morbi praesagio ferendo, quo longiori tempore, quo constantius, et intensius haec egit, eo minor spes sanationis affulget; hinc prognosis mala ubi a syphilitide inveterata, ossium vicinorum carie, carcinomate; magis fausta ubi a laesione nervorum, a refrigerio, saburra etc. derivanda.

Cum prosopalgia ad morbos periodicos spectet, probe cavendum est, ne intervallum solito diutius protractum, pro perfecta iactemus sanitate.

Therapia.

Contra atrocem hunc morbum naturae ut plurimum dubiae, vix non totus iam medicamentorum apparatus tentabatur; certum tamen et specificum pharmacon, quod in casu omni, et sub quibuscunque circumstantiis eum tollere valeret, non noscimus, oportet igitur naturam morbi quam exactissime cognoscere, et huic maxime consentaneam medelam opponere; qua via incedentes felicissimi etiam erimus, in hocce atroci tollendo, aut saltem mitigando morbo. Cum vero morbus hic periodicus sit; hinc cura duplex est necessaria, alia tempore insultus, alia tempore ab insultu libero.

Remedia quae ipsum insultum mitigare, aut tollere valerent, admodum differunt, pro morbi natura diversa, ita: ut iam pressio et frictio rudior, topica sanguinis depletio ope hyrudinum, frigoris applicatio in locum adfectum, vel vero narcotica, aut stimulantia lautiori dosi adhibita; necessaria fuerint.

Tempore ab insultu libero duplici indicationi satisfieri debet; prima consistit in remotione causarum; et altera quae ipsi renititur morbo.

Prima indicatio, remotio causarum excitantium aut sustentantium; sic corpora peregrina forsan praesentia removeri debent v. g. oestri in naribus ope instrumentorum extrahendi, vel ope pharmacorum enecandi, et postea sternutatoriis expellendi, tumores qui nervos faciei adficiunt, pro indole eorum varia varie tractandi, dentes carioli extrahendi, antrum Highmori a peregrinis liberandum; exostoses, topi syphilitici; nodi arthritici in parte dolente debitis remediis debellanda, caries congrue tractanda; transpiratio, profluvia suppressa, impetigines retropulsae revocandae; rheuma, arthritis, syphilis, infarctus viscerum congruis pharmacis oppugnanda erunt.

Alteri indicationi satisfit, si therapia nostra ipsi renitamus morbo, quae illius naturae adcomodanda erit, hic igitur breviter exponemus therapiam singulae speciei convenientem, cui subiungemus enumerationem remedium ab auctoribus in nevralgia faciali commendatorum.

Ubi nevralgia facialis irritativi characteris est, aut vere inflammatorii ibi methodus antiphlogistica exigitur. Venaesectiones rarius, frequentius evacuationes sanguinis

topicae; e remediis antiphlogisticis imprimis Nitrum, Calomela, alii sales purgantes antiphlogistici, huc spectant etiam acida mineralia diluta. Inter externa remedia praecipue revellentia indicata; topica vix feruntur. — Ubi neuralgia facialis inflammatoria traumaticae est indolis, ibi ante omnia curandum ut inflammatio quam levissima insequatur, et suppuratio ingressa sustineatur, labia vulneris ab invicem remota servanda, ne cicatrix ad spatium minus restricta exoriatur, nam si id fiat nervi incarcerationum, et sub quolibet motu musculorum faciei, dolorifica inducitur tensio. Aut non raro contingit, ut tantum aliqua pars nervilematis aut medullae nervi alicuius vulneretur, tunc plenaria transcissio nervi laesi fieri debet. — Si prosopalgia inflammatoria rheumaticae fuerit indolis, tunc remedia antiphlogistica diapnoicis iuncta indicantur; quatenus methodus antiphlogistica an mitior, vel strictior aut vero strictissima adhibenda sit febris gradus determinabit, inter remedia diaphoretica, quae adhiberi valent numerantur: praeparata ammonii, sambucus, camphora, stipites dulcamarae, pulvis Doveri etc. inter externa remedia praecipuam sibi laudem meruerunt revellentia, inunctio unquenti neapolitani. — Ubi prosopalgia metastatico inflammatoria fuerit, ibi character febris therapiam dirriget, hinc febris intensiore praesente venaesectio instituenda, interne autem remedia antiphlogistica uti: Nitrum, Calomel etc. propinanda erunt, febris sublata revellentia fortiora uti: vesicantia, cortex mezerei, setacea, fonticulos, balnea praecipue sulfurea, et remedia talia interne propinanda, quae cutis functionem imprimis excitare valent, uti sunt: sambucina, pulvis Doveri, antimonialia, praeparata ammonii, ideo vero tam bono cum effectu adhibentur haec pharmaca, cum longe frequentissime exanthemata aut impetigines retropulsae, prosopalgiam metastatico inflammatoriam excitant. Ubi blennorrhoea syphilitica, aut etiam insons suppressa morbum causaret, et causa suppressionis phlogosis esset, ibi antiphlogistica remedia adhibenda, tam topice, quam etiam interne, ubi phlogosi devicta blennorrhoea non redivit, ibi irritantia, secretionem prolicientia indicantur, uti: materiae syphiliticae insitio, iniectiones cum solutionibus causticis in urethram, cum cautela maxima instituendae. Quid agendum sit, si profluvia cruenta habitualia supprimantur, aut ulceri praecociter consanato superveniat, sponte patet.

Pertractata therapia prosopalgiae inflammatoriae, transeundum est ad alteram speciem, nimirum Prosopalgiam indolis nervosae, remedia quae huic opponuntur, antinervina compellantur, antequam de iis agamus, quid sub remedio nervino intelligamus, praemittere debemus remedia nervina ea compelliari, quae motus vitales tam voluntarios, quam etiam involuntarios, exorbitantes compescunt, aut vero eosdem infra gradum normalem depressos excitant, iam autem causa morbi spastici, aut vero paralytici varia est, hinc etiam non solum ea remedia nervina compellantur, quae viribus dynamicis in vitam nervosam directe agunt, sed ea etiam quae indirecte exaltationis vel paralyseos causam auferunt, vel enervant adnumeranda sunt; sic igitur non solum narcotica et stimulantia, sed etiam purgantia, emetica, venaesectio, operatio chirurgica etc. sensu latiori nervinis remediis adnumerari debent. — Notione hac de remedio nervino habita, transeundum est ad therapiam prosopalgiae nerveo hystericae aut hypochondriacae, pharmaca huic speciei opponenda, ita varient oportet, ut praeter ea quae alterando agunt, quorum praecipua in tartrate lixivae stibiato, praeparatis hydrargyri, cortice chinae et arsenico inveniuntur, talia cum iis coniungantur remedia, quae debilitatem directam aut vero indirectam tollere valeant, et quorum virtus medica aut a stimulis volatilibus, aut a principis narcoticis dependet; sic ex sopientibus belladonnam, stramonium, hyoscyamum, aquam lauro-cerasi, opium etc. enumeramus, cum ad stimulantium seriem: moschum, castoreum, camphoram, plantas aromaticas, aetheres, ammonii praeparata, phosphorum etc. referimus. Praeter haec pharmaca utiliter adhibentur revellentia, quae sensibilitatem in nervo adfecto accumulata ad alia minus nobilia organa derivare valent; huc referri debent: electricitas, galvanismus, perkinismus, magnes, scopulae metallicae, lotiones narcoticae, stimulantia, aut mixtae, vesicantia, synapismi, cortex mezerei, unguentum Autenrithii, fonticuli, setacea, balnea etc. supremum locum tenent. — Quod curam prosopalgiae nerveo consensualis concernit, tunc prout saburra sursum vel deorsum turgescet, iam emetica, iam purgantia indicata erunt. Si vero prosopalgia nerveo antagonistica fuerit, et torpor vitae systematis gangliosi in causa sit, tunc remedia vitam excitantia, in specie sic dicta acria, drastica adhibenda, et revellentia paulo ante adducta simul in auxilium

vocanda. — In cura prosopalgiae nerveo symptomaticae, quae per infarctus viscerum abdominalium sustentatur, remedia solventia iam lenius, iam vero intensius agentia, indicantur.

Quod therapiam prosopalgiae arthriticae indolis attinet, haec si characterem energeticum praeseferat, hic ante omnia tollendus, dein vero morbo universali nempe cachexiae arthriticae remedia opponenda erunt; huc spectant: sulfur, alcalia, praecipue ammonium, quaiacum, extractum aconiti, dulcamara, sarsaparilla; calamus aromaticus, antimonialia, rhododendron chrysanthemum, sabina, gratiola, belladonna, acidum nitricum; muriaticum, aquae muriaticae, atque sulfuricae, similia balnea, uti: thermae Töplitzenses, Wisbadenses, Carolinae, Badenses austriacae, Mehadianae, Gastunenses, Budenses. etc.— Singularis attentio in id convertenda ne localis affectio nervos faciei detinens supprimatur, et ad organa nobiliora uti encephalum, pulmones vel cor transmigret, ubi vicissim similis loci mutatio optanda est, si ad partes minus nobiles uti manus vel pedes contingat, nam tunc minus atrox esse solet et facilius sanari valet.

Therapia prosopalgiae syphiliticae ita adornanda, nempe ante omnia morbus universalis debitis tollatur remediis, hinc mercurius praecipuum salutis refugium, usus illius remedii morbi extensioni et gradui adcomodandus, hic notandum, quod salivatio exorta secus minime sustinenda, hic in prosopalgia merito sustineri possit, cum nervi parotidis cum nervis facialibus intimum foveant commercium, hinc illis irritatis nervi faciales anatagonistico modo a stimulo venereo quasi liberantur, quod experientia quoque comprobatur, qua testante experimur quod durante ptyalismo dolores prosopalgici vel mitigati sunt, vel penitus cessaverint. Ubi indoles prosopalgiae carcinomatosa fuerit, tunc ante omnia pharmaca anticarcinomatosa ad diathesim delendam adhibenda sunt, nam quousque id factum non fuerit, eoque prosopalgia pro sanata haberi non potest.

In ea tandem specie prosopalgiae, quam vitium organicum sustentat, manus chirurgica communiter auxilium adferre solet, licet prius alia remedia solventia et resorptionem incitantia tentari debeant, huc spectant: unquenti neapolitani inunctio, emplastri hydrargiri appositio, aut alia emplastra et unquenta resolventia. etc.

Pertractata prosopalgiae cura, et remediis generatim expositis, nunc ad expositionem eorum in nevralgia faciali commendatorum disquisitionem adgredimur; ut autem in expositione eorum aliquis servetur ordo, iuvabit illa in interna et externa distinguere, atque priora iuxta classes, posteriores iuxta formas referre.

Remedia interna.

I. E classe remediorum evacuantium adhibita fuere sequentia.

1. Sanguinis evacuatio. Venaesectio iam a *Fothergillio*, *Sauvagegio* proposita, recentissime ab *Haase*, *Löbenstein* et aliis in exordio morbi praesertim commendatur; (absque ulla diagnoseos differentia) quod merito et iure in morbo naturae inflammatoriae commendatur, cum si id negligatur, facile dein vitium organicum difficulter tollendum oriatur, brachium lateris affecti communiter eligitur; nisi aliae circumstantiae poscerent, ubi alter locus praeferrere debet; sic in prosopalgia quae ab haemorrhoidum, aut fluxus menstrui retentione oritur, ibi in pede instituatur, quantitas sanguinis evacuandi variat pro morbi gradu, et aegri constitutione, sic *Haase* refert se magnas venaesectiones instituisse ad libram unam — duas. secundum eundem auctorem optime una hora post insultum instituitur. — Hyrudinum applicationem exposcit prosopalgiae indoles phlogistica mitior, aut aeger tenerior, et quidem applicantur vel ad locum dolentem secundum *C. Frank*, *Haase*, vel ad tempora, imprimis si dolor nervum frontalem adficit, aut ad angulum oculi internum, vel ad palpebrarum margines, ubi simul ophtalmodynia adesset. — Cucurbitas *Ill. Swietenius* nuchae imponi curavit; ast nullum inde vidit effectum, ubi solum topicus status phlogisticus morbum sustinet, effectum praestant salutarem.

2. Emetica horum remediorum effectum bonum et malum viderunt auctores, sic laudant illorum usum *Behm* et *Lentin*, sed non indicant in quibus morbi modificationibus effectus salutaris exspectari possit; sed ideo tamen collimare licet, si ea quae theoria de emeseos proficuitate dictat, et experientia docet, quibusnam in casibus aliquid boni praestare valeant; sic nevralgia facialis nerveo antagonistica, febris intermittens ad instar recurrens, ab

emetiis, et cortice peruviano alternatim propinato expectare potest sanationem, quod *Behm* in tribus casibus observavit.

Pertinet huc etiam methodus, qua emetica, ad nauseam usque porriguntur, quae ibi indicatur, ubi prosopalgia modo antagonistico, a debilitate systematis gangliosi orta fuerit; quem in fontem alterando vomitoriorum ope medicus agere studet. Pertinent huc pilulae *Meglinii* ad nauseam vel vomitum usque porrectae: Recp. Extracti hyoscyami. Pulv. rad. valerianae. Sulfatis Zinci $\hat{a}\hat{a}$ scrup. duos. m. f. mass. pil. ex qua for. pil. gran. unius. hae pilulae pro vario morbi gradu, variaque aegri constitutione diverso numero de die summuntur; ab initio secundum mentem auctoris aeger tantum mane unam et vesperi unam summat pilulam, quae dosis dein quotidie augetur; hac methodo *Meglin* 9 aegros sanitati se restituisse dicit, quorum unus adeo pilulis his assevit, ut 40 mane totidem vesperi summeret; ubi e contra alter non plures quam tres tulisset.

3. Purgantia, cum non rara sit occasio prosopalgiam naturae nerveae consensualis observandi, quae per gastricos stimulos, uti cibos et potulenta corrupta, humores inquilinos degeneratos, faeces accumulatas, putridas, etc. oritur; hinc merito a purgantibus rite indicatis effectum salutarem expectare possumus, licet *Mazius* hanc causam rarius prehendat. Sic non raro per ipsam autocratiam naturae evacuationes per emesim aut diarrhoeam cum levamine contingunt, quae nobis indicant, nos quoque remediis purgantibus uti posse, si indicatio pro iis adfuerit. In selectu horum remediorum semper viscerum abdominalium status considerandus, et pro huius diversitate iam antiphlogistica, iam fortius agentia drastica adhibenda erunt, prout nempe vel status irritativus, aut vero torporis adfuerit.

4. Antihelminthica proprie talia hucdum adhibita fuisse non constat, medici enim prosopalgiae causam in nidu verminoso necdum quaesiverunt.

5. Diuretica adhibendi nullam hucdum medici invenerunt indicationem, nec empiria ea tentasse videtur.

6. Diaphoretica ibi praecipue indicantur, ubi morbus rheumaticae fuerit indolis, aut a metastasi ortus, aut vero exanthematibus vel impetiginibus, aut affectionibus arthriticis localibus retropulsis enatus.

II. E classe solventium, substantiae in regno vegetabili obvenientes, nullam sibi in curando hoc morbo famam meruerunt, sed e contra multae substantiae e regno minerali non absque omni utilitate adhibitae sunt, in applicatione horum semper a mitioribus, ad fortius agentia fiat transitus; ad solventia regni mineralis spectant:

Sal ammoniacus, hic sal debilioribus et gracilioribus exhibetur, pro vario scopo quem medicus intendit; refracta, vel plena dosi, aut ad solvendos infarctus, vel vero ad resuscitandam vitam systematis gangliosi, bono etiam cum effectu adhibitus fuit in prosopalgia arthriticae indolis.

Terram ponderosam salitam cum calomela et belladonna adhibitam fuisse vidit irrito cum successu *Schaeffer*.

Praeparata Antimonii, ibi praeprimis adhibenda ubi morbus naturam rheumaticam praesefert, aut vero morbo diro efflorescentiae cutanae retropulsae ansam praebuere. *Lentin* idem confirmat, huc quoque spectant laudes quas *Start* de iis decantat, qui ea communiter cum quaiaco, aconito, aut hyoscyamo coniuncta, porrexit. Alii praeparatis antimonii omnem virtutem denegant.

Hydrargyri praeparata, *Haighton* iam adhibuit, eaque noxia vidit, praecedente tamen *Mazio* magnam denuo sibi meruerunt famam, praecipue ibi, ubi morbus mere syphiliticus est, quo in casu calomel ad salivationem usque porrectum, simul cum unquenti neapolitani inunctionibus, ad restituendam sanitatem multum contulisse visum est; non minoris momenti haec therapia est, ubi secundum *Mazium* causa morbi, et indoles nullo modo detegenda sunt. Ex iis vero quae *Nob.* ab *Hildenbrand* de prosopalgiae cura hydrargyri ope in annalibus scholae Ticinensis exponit, et in nostrum deservire possunt scopum haec sunt; observationes huius docti Viri demonstravere hydrargirum ad remedia nervina pertinere, licet ratio qua in nervos agunt haec pharmaca nos lateat; quin tamen contra opiniones varias, quas *Vir* hic statuit aliquid habere possimus; et ob hanc virtutem anodyniam commendat hydrargyri praeparata in prosopalgia spasmodica. Modus applicandi non differt ab illo qui contra syphilidem adhibetur, sed monet ut a mitioribus hydrargyri praeparatis inchoemus, fortius vero agentia, nervorum

erethismum exasperantia penitus omnittamus; licet *Steinbuch* corrosivo exhibito per 5 dies salivationem cum doloris augmento, sed ptyalismo imminuto dolores evanidos observaret, et licet in *Hufeland's Journ, d. pract. Heilk. Band. X. St. 3. S. 200.* referatur casus a Prof. *Wedekind* ubi dolor facialis, per solas fomentationes cum solutione corrosivi in aqua destillata (ad libram unam aquae drach. semis corrosivi) post spatium trium septimanarum sanaretur, cum autem alter casus adferatur in eodem *Journ. Band. XXV. St. 1. S. 15 — 22.* ubi corrosivus initio solus, tardius laudano et extracto cicutae copulatus nullum levamen tulisset, tuncque ad calomelam parva dosi propinandam, transitus factus fuisset, ptyalismus vehementer insecutus, dolores omnes dispellit; hinc etiam nobis omnino consultius esse videtur, initio calomelam, in nexu cum inunctionibus adhibendam esse; si vero dolores intensi therapiam distinctam exigent, tunc opium, aut vero acetas morphii optimum est palliativum remedium. *Breiting* calomelam cum extracto hyoscyami dosi continuo aucta optato cum effectu dedit, *Herber* idem praeparatum sed belladonnae unitum bono cum successu exhibuit. Alii observatores minime effectum laudatum ab hydrargiro et eius praeparatis experti sunt, quod vel non fuerit indicata haec therapia, aut quod non fuerit ad saturationem usque audaci manu, et repetita vice adhibita. — Praeter casus adductos, in quibus mercurius bono cum effectu adhibitus est, pertinet adhuc ille, qui fontem in nevrilematis exsudatione serosa, et inde orto tumore agnoscit. Finita cura mercuriali organismi viribus prospiciendum, hinc debito regimine diaetetico et pharmacis tonicis succurrendum est, ad quae spectant: decoctum chinae, radix sassaparillae, sulfas chininae, Ferrum carbonicum etc.

Kali muriaticum oxygenatum, quod *Thilenius* aliique medici Galliae proposuerunt, et quod recentiores multum laudant, in prosopalgia nervea inveterata applicare convenit; cui sententiae *Herber* accedit, qui sanationem radicalem post menses, alias vero levamen etiam summum in morbo inveterato impetravit. Exhibuit grana sex bis terve de die forma pulveris. *Schaeffer* quoque laudem ei tribuit; idem confirmat Dr. *Mayer* in *Hufeland's Journ. d. pract. Heilk. Band. LVII. St. 1. S. 121.*

Arsenicum a *Selle* ex causticis solventibus propositum, in prosopalgia nervea antagonistica typice recur-

rente commendari meretur. Quâ ratione arsenicum in systema nervosum agat, adhuc non scimus, an sensibilitatem in loco adfecto accumulatae conductoris ad instar derivet, aut totum organismum quod verosimilius est proprio modo mutet, nobis hucdum incognitum mansit. Nos in prosopalgia nerveo antagonistica typice recurrenter ad arsenicum ideo confugimus, quia idem remedium contra febrim intermittentem omnibus pharmacis pertinaciter resistantem a medicis peritissimis uti *Harless* etc. optimo cum successu adhibitum fuit, et ultimo ob analogiam quae inter prosopalgiam nerveo antagonisticam typicamque, et febrim intermittentem intercedere videtur. Cautelae nunquam praetervideantur quibus usus arsenici subiiciendus est. Praeparata huius metalli heroici sunt: Kali arsenicosum, Arsenicum album, forma qua porrigitur est varia pro vario praeparato quod in usum trahitur; sic arsenicum album in emulsione; Kali vero arsenicosum cum gummi arabico praescribendum, qua compositione effectus nocivi in tractum intestinale praecavetur. Currie arsenicum cum tinctura digitalis purpureae dedit.

III. Remedia roborantia, quae praecipue ibi adhibentur, ubi debilitas viscerum abdominalium inducta est, per usum, et praecipue abusus remedium solventium, contra prosopalgiam adhibitorum; in genere roborantia, si corticem chinae, et ferrum carbonicum excipiamus, hunc morbum indirecte solum sanant, functiones nempe quibus systema gangliosum praeest, ad normam reducunt, quin ipsum morbi focus directe adgrediantur. Remedia roborantia raro sola, sed ut plurimum stimulantibus unita adhibentur, quae etiam praecipuam rationem effectus continent; cum autem organa digestionis debilitata remedia roborantia fortiora non digerant, a remediis mitioribus incipiendum, et cum his aromatica vitam excitantia coniungenda sunt, quorum usum remedium fortiorum applicatio sequatur, inter haec praecipua sunt: centaurium minus, carduus benedictus, trifolium fibrinum, gentiana, cortex cascarillae etc.

Roborantia etiam martialia, excepto Ferro carbonato, nullum aliud effectum praestant, nisi quod sanguificationem retentam elevent, et hac ratione debilitati, ex hac fonte orlae succurrant.

Corticem chinae opio, aut aliis antispasmodicis iunctum, saepius, et imprimis, ubi dolor periodos regulares

tenuit, bono cum effecta adhibuerunt *van Swieten, Plenck, Behm, Schaeffer, Bellingeri* aliique plures. *Hildenbrand* eum inefficacem; *Steinbuch* semper noxium vidit.

Roborantia martialia dolore congruis antea mitigato *Haighton* iam adhibere voluit. Recentissime *Murray* cum propria deficeret experientia, medicos ad communicandas de martialium usu observationes adhortatur. *Succow* tincturam martis cum oleo cajeput et decocto corticis cum levamine adhibuit.

Carbonas Ferri quem angli medici empirico nonnisi modo, et quidem cum successu ut dicunt tentabant, medicorum germaniae votum fere nunquam explevit; bonus effectus huius remedii confirmatur, per duos casus relatos in *Iulius et Gersons Magazin der auslaend. literat, quorum unus in Tomo. 3. pag. 343. per D. Richmond* adducitur, ubi posteaquam ptyalismus exortus est dolores mitigabantur, et tandem ex integro evanuerunt; alter casus refertur a *Dr. Bekker Tomo. 11. pag. 502.* unius viri prosopalgia sinistra, et cataracta oculi sinistri affecti, sumpsit (praegressa prius purgante medicina quae ex calomela et pulpa colocynthidis constabat) hic aeger ter per diem drach. semis. absumentisque uncis tribus et drachmis duabus plenarie a dolore liberatus est, simulque visum amissum recepit.

IV. Remedia stimulantia, ubi torpor systematis nervosi vitae vegetativae, et debilitas indirecta totius nervosi systematis in causa fuerint prosopalgiae enatae, remedia stimulantia optimo cum effectu opponuntur, inter quae praecipue laudantur: folia aurantiorum, cortex cinnamomi, valeriana, arnica, serpentaria, quajacum, sabina, gummi amoniacum, camphora, assa foetida, castoreum, moschus, aetheres, oleum animale Dipellii, phosphorus. Praecipuam laudem sibi meruerunt pilulae a *P. Frank* propositae Recp. Assae foetidae, Extr. cort. chinae, aa *unc. unam.* Moschi optimi, *scrup. unum.* Opii puri syrupo cort. aur. sol. *grana sex. m. f. mass. pil. for. pil. gran. trium.* capiat aeger mane et vesperi pilulas quatuor. — In his magni pretii pilulis parva est moschi, minima opii ratio.

Aetheres *Lentin* proficuos vidit, *Haighton* aetherem sulphuricum cum tinctura opii simplici saepius cum levamine adhibuit. *Löbenstein* phosphorum in oleo animali Dipellii solutum cum successu adhibuit, solvitur nempe *granum unum phosphori, in drachma una olei animalis Dipellii,* dosis singula guttae sex.

E stimulantibus contractivis vegetabilibus externe plura, interne, vix ulla tentata sunt. E stimulantibus contractivis mineralibus flores zinci, ast absque notabili effectu adhibebantur.

V. Remedia narcotica, ubi nam haec medicamenta adhiberi debeant, omnis artis medicae peritus facile perspiciet, si vires stupefacientes animadverterit, quibus remediis ad imminuendam sensibilitatem utimur, hinc in prosopalgia nervea suam invenient indicationem. Ex hac pharmacorum serie solum ea adferemus, quae experientia felix comprobavit.

Opium narcoticorum princeps, in prosopalgiae cura aliis cedit. Maiores solum opii doses levamen tulerunt, quas tamen in omni casu ob laterales quos producit effectus propinare non audemus; praecipue in hominibus plethoricis, ad congestiones dispositis, aut etiam senibus, ubi sensibilitas exhausta non tam celeriter restituitur.

Doses opii praescribendae variae a variis observatoribus commendantur, optima methodus videtur ea, qua a dosibus minoribus ad maiores progredimur, doses enim maiores uti iam diximus non bene feruntur, licet etiam stupendas doses levamen tulisse visum sit; sic in *Samml. auserl. abhandl. f. pract. aerzte* Band. 32. St. 4. S. 701. refertur de foemina quadam prosopalgia affecta, ubi, posteaquam omnia reliqua remedia incassum tentarentur in opio refugium quaesitum, quod etiam magna dosi grana octo pro nyctemero, et cataplasmata emmollientia aegram ab atroci liberavit malo.

Belladonna (Stark) qua remedium efficacissimum proposuit; radicis in pulverem tritae grana duo aut tria ad vesperas dedit. Herber dirissime patientem belladonna a dolore penitus liberavit, initio mane et vesperi granum unum exhibuit, dein dosim quotidie grano uno auxit, donec pupillae dilatatio, photopsia, vertigo, aestus, sitis magna, pulsus celer, plenus ingruerent, dein dosim minorem aliquot adhuc diebus continuavit, donec dolores omnes evanescerent. Sexto tamen mense malum recruduit. Belladonna quam aegra antea non tulit cum Ipecacuanha combinata optime ferebatur, levamenque maximum tulit. James Thacher. Ab hoc pharmaco maiori etiam dosi exhibito nullum experti sunt levamen, Reil, Mazius, Weinhold et alii plures.

Stramonium convenit cum effectibus sedantibus aliorum narcoticorum, hinc et hoc pharmacum in prosopalgia iudolis nerveae praeparandis adhibendum, *Lentin* maxime commendat hoc remedium, tincturamque quam sequenti modo parat: Recpe. Seminum stramonii, *unc. duas*. Vini hispanici, *unc. octo*. Spir. Vini, *unc. unam* digere per dies aliquot leni calore et filtra in usum trahit, exhibetque ex ea singula vice guttas sex. Virtus eximia huius tincturae dosi eadem adhibitae, comprobatur per duos casus in *Hufelands Journ. d. p. heilk. allat.*, quorum unus *Band. 9. St. 1. S: 56.* vir fuit 18 iam annis hoc atroci malo afflicto, qui solo hoc remedio restitutus est, alter in eodem Tomo, foemina erat habitus tenerioris quae in quintum iam annum hoc dolore excruciabatur, haec sibi initio per magnas dosis cicutae dolores dispulit, ast dum serius haec non sufficerent, in tinctura stramonii levamen invenit, quo usu dein diutius adhuc continuato, perfecte reconvaluit. Extractum ex seminibus paratum, quod *Marcet* longe efficacius dicit eo ex herba parato, cuius octavam partem grani unius, sensim adscendendo ad granum integrum cum levamine dedit, in hanc rem confirmandam adfert idem *Marcet* casum in *Samml. aus. Schrift. Band. 29. St. 4. S: 710.* de una Domina cui quartam partem unius grani dedit, et dolor momentanee dispulsus est. *Astle Cooper* eodem in opere loco paulo ante citato asserit se idem remedium adhibuisse in casu quodam, ast mox seponere debuisse ob nimiam exaltationem systematis nervosi; quae tanta erat ut nec una octava pars grani unius sustineretur.

Hyoscyamus hoc remedium a *Stark, Meglin, Breiting et Mazio* comendatum, in prosopalgia nervosa quae sedantia requirit, adhiberi meretur, dosim tamen quam *Breiting* adhibere vult non svademus, quamvis solutionem extracti ex seminibus hyoscyami parati in aqua chamomillae destillata probemus, cum in chamomilla praeter principium amarum, et oleum aethereum quae digestionem promovent, etiam aliquid narcotici contineri videatur, quod licet chemia non demonstret, tamen virtus illius sopiens, post usum illius cito non raro emergens comprobare videtur; parat vero suam solutionem sequenti modo: solvitur nempe extracti ex seminibus hyoscyami parati *drachma una* in *uncia una* aquae. dest. chamomil. guttas initio decem, dein singula hora guttis quatuor dosim auxit; ita ut prima die statim drachma una absumeretur; simili

dosi ad narcoseos gradum insignem pluribus diebus continuavit. Seposito remedio leve insecutum levamen cito disparuit. Merito ipse auctor dosim porrectam enormem dicit. *Herber* inefficaciam huius remedii expertus est. *Mazius* idem extractum cum calomela coniunctam propinat; methodo a *Breiting* proposita, ast die sexto ob narcosim ab eo abstinere coactus fuit. — *Dr. Palleta* in *Iulius et Gersons magazin d. auslaend. literat. d. Heilk.* (Band. 5. S. 223. refert se extractum hyoscyami floribus zinci unitum, duobus in casibus bono cum effectu adhibuisse.

Rhododendron chrysanthum fruticem alpinum Sibiriae, *Bellingeri* attentione dignum dicit.

Digitalis purpurea, quae praeter vires stupefacientes, propriam virtutem exserit in cor atque vasa, qua illorum vita exaltata compescitur, illis convenire videtur casibus, in quibus sensibilitas aucta cordis et vasorum sanguiferorum agilitate sustinetur, simulque intenditur. *Leuthner* digitalem purpuream stimulis volatilibus iunctam propinavit (?) *Currie* arsenicum cum *digitalis purpureae* tinctura dedit.

Cicuta a multis laudatur, e contra vituperatur ab aliis; hae contradictiones non tantum in effectibus contradictoriis quos exserit, sed etiam in dosibus variis, quas praescribendas esse vident, fundantur. Ut tamen rationaliter procedamus, natura morbi praecipue respicienda erit, qua perspecta nisi carcinomatica foret, nullum ab hoc remedio dubioso expectamus auxilium; huius sententiae *Fothergill*, *Seele*, pluresque alii sunt, qui solam prosopalgiam indolis carcinomaticae agnoscunt.

Quoad dosim circa quam magno opere discrepant medici, notandum habemus, eam potius secundum effectus quos exserit, quam secundum auctorum observationes ministrandam esse. Forma in qua *cicuta* praescribitur hoc in morbo est: extractum *cicutae* quod *Iakson* Americanus recenter semper paratum adhiberi vult, et praecipue efficax asserit, quod a dosibus minoribus inchoavit et ad enormes usque ascendit, sicuti laudandum est id, quod a dosibus minimis inchoaverit, ita e contra vituperari meretur augmentum ad doses enormes, nam casum unum refert ubi quinque drachmae intra sex horas consumtae sunt. — Tincturam quoque bono cum successu adhibuit, cuius initio guttas triginta dedit et sensim ad 300 ascendit, levamen ante narcosim inductam nunquam vidit.

Quod *Baldingerii* electuarium spectat, id solummodo adducere possumus quod *Lentin* frequentius inefficax observaverit, et unicum casum adnotet ubi per hoc praeparatum aegram per quatuor annos, a malo hoc atroci tutam reddiderit. *Haase* a cicutâ, cum aconito et assa foetida porrecta levamen impetravit.

Contrarium asserunt, inefficacemque dicunt cicutam *Lentin*, *Haighton*, *Mazius*, *Steinbuch*, *Reil* et alii plures.

Dr. James Thacher refert casum in *Salz. med. chir. Zeitung*. 1820. Nr. 39. Seite 196. ubi 400 grana intra septem horas absumta sunt, et levis solum temulentia, et levamen viginti quatuor horas durans, insequabantur.

Aconiti extractum aliis remediis iunctum *Stark*, *Rademacher* aliique adhibuere.

Dulcamara, haec planta cum praecipue in cutis functiones, atque membranas mucosas, virtutem suam medicam exserat in ea specie adhiberi meretur ubi ex metastasi, aut ex disparitione exanthematum et impetiginum o cutis superficie originem suam prosopalgia trahit. Sic refertur casus in *Hufeland's Journ. d. pract. Heilk.* Band. XXV. St. 1. S. 39. a *Westendorf* ubi dosibus magnis adhibuit extr. dulcamarae, cum herpes retropulsus morbi rationem contineret; post septem septimanas herpes rediit, et paulo post prosopalgia remisit.

Aqua destillata *Laurocerasi* quoque tentata fuit, ast non constat nobitem inde effectum visum fuisse; una praeter alias plures rationes videtur esse sita, in varia parandi ratione et quod cito destruat per influxus externos.

Remedia externa.

Inter haec sequentia notentur:

Lotiones et fomentationes, cum aqua fontis gelida, glacie, vino calido, spiritu vini, aqua reginae Hungariae, cum essentia galbani, aethere sulphurico, cum solutione opii concentrata, cum laudano liquido Sydenhami, cum liquore ammoniae causticae, cum aethere sulphurico et tinctura cantharidum, decocto quercus cum alumine; dum haec adhibemus semper debitus selectus fiat, pro diverso caractere morbi.

Stillicidium cum naphtha vitrioli. *Hufeland* instituit irrorationes cum aqua maris *Doberanensi*.

Inunctiones aromaticae cum unquento volatili simplici, vel camphorato, unquento saponato camphorato, aut unquento nervino quibus flores zinci iunguntur *Loebenstein*, similiter inunctiones cum oleis aromaticis uti *Sassafras*, oleo petrae, terebinthinae oleo camphorato mixto, oleo hyoscyami, cum opio saliva subacto, phosphoro oleo animali *Dipellii* soluto, inunctiones cum unquento neapolitano, cum unquento ex calomela a *Starkio* sequenti ratione paratum: Recp. Axungiae porcinae unc. semis, Mercurii dulcis, scrup. unum, olei galbani, olei succini aa scrup. semis. S. in processum mastoideum inungendum. — Huc quoque referri meretur usus Tincturae coccinellae septempunctatae, de qua *Dr. Sauter in Hufel. Journ. d. prakt. Heilk. Band. XIV. St. 2. S. 106. — 108.* enarrat casum, qui partim per usum externum sed praecipue internum intra breve tempus sanitati restitutus est, sed id notandum, ad effectum salutarem provocandum non dosim minorem sed majorem requisitam fuisse, ita quidem ut a guttis 40 tincturae vix aliquem effectum persentiret, ubi e contra a drachmis duabus malum dispulsum est, aegrae tamen praeter leviozem vertiginem nil inamoeni causavit.

Fumigationes cum gummi mastichis ab *Herber* frustra tentatae, fumigationes cum opio a *Loebenstein* propositae.

Emplastra cum stimulo agentia, quem ab resinis contentis derivant, rarissime feruntur, et si iam adhiberentur contra prosopalgiam, ea sit semper indirecte asthenica.

Vesicantia scopo revellendi a loco affecto remotius; qua excitantia, suppurationem inducentia, ipsi imponantur parti affectae, haec methodus posterior in prosopalgia chronica reumatico inflammatoria utiliter adhibetur; idem valet de lotionibus cum tinctura cantharidum, de applicatione corticis mezerei, inunctio unquenti *Autenrithii*, atque liquoris ammonii caustici ad escherae productionem.

Pelli agninae nigrae in regione dolente gestae *Succow* sanationem neuralgiae facialis tribuit; ast perperam; medicamentis enim heroicis in et externe manu sat audaci exhibitis, et menstruis antea suppressis redeuntibus, felix morbi exitus potius imputandus est.

Setaceum *Lapeyroniae* et *Lafosse* commendarunt. *André* iuxta hos, uti et *Mazius*, alique plures, ast absque effectu posuerunt.

Fonticulorum tempestivum usum *Fothergill* iam commendat, etiam alii inter hos *Pujol* et *Lentin* his accedunt laudibus; *Murray* dissectione nervi excepta plurimum spei ponit in fonticulos, praecipue si a metastasi provenit morbus. *Mazius* et alii contrarium sunt experti.

Moxa proposita a *Guincourt*, et a medico cell. militari *Larrey* optato cum successu adhibita est tribus in casibus, qui referuntur in *Julius* et *Gersons Magaz. d. aust. literat.* Band. 3. S. 145 — 147, dicitque sub ea praecipue modificatione quae sub nomine prosopalgiae chronicae venit, adplicationem moxae indicatam esse, numerus moxarum et applicationis repetitio variat, locum vero in quem moxa applicari debeat juxta *Larrey* quam proximus sit parti dolenti.

Arsenicum, externe forma pulveris *Cosmii* applicari potest, si diathesis carcinomatosa abacta est, aut si necdum fuit evoluta, cancer tamen apertus in parte dolente adsit.

Cauterium commendat *André* ustione profundissima, ad plenariam nervi adfecti desorganisationem, et supparatione diuturna plures aegros sanitati restituit, in quibus remedia varia, setaceum, dissectio ipsa, frustra adhibebantur.

Electricitas indicatur ubi nervina requiruntur remedia; quam *Thouret* commendat; *Haighton* vero ab electricitate initio meliorationem, sub continuato vero usu summam mali exacerbationem expertus est.

Galvanismus in prosopalgia nervea, uti electricitas optatum effectum inducere valet, sic *Quenzel* etiam refert casum in *Hufeland's Journ. d. pract. Heilk.* Band. XIII. St. 4. S. 134 — 136. ubi rheumaticae erat indolis, et aeger per applicationem galvanismi semel vel bis per diem repetendo per septimanam unam continuatum convaleuit; sub simili tractamine galvanico quod per decem minuta duravit calor corporis imprimis augebatur. — Idem de *Acupunctura* comemorari debet.

Magnetismus in prosopalgia nervea antagonistica indicatur; huic accedit magnetismi animalis applicatio. *Perkinismus* levamen tulit *Hildenbrandio*; ab *Heurteloup* laminae chalybeae, magneticae gestamen laudatur; in cuius locum *Bellingèri* frictionem cum magnete proponit.

Scopula metallica seu anodyna, a *Cell. Franc.* ab *Hildenbrand*, tamquam efficax palliativum contra pro-

rosalgiam indolis vere nervosae proponitur, est autem nil aliud quam fascis, constans e filis tenuibus argenti et auri, vel cupri et ferri, cupri et zinci etc. invicem arcte copulatis in scopulam, aut quod nil obest efficaciae, ex una solum specie metalli confici valet; quod vero metalli qualitatem concernit, haec exiguum ponit differentiam, nam ferrum eundem, quam cuprum praestat effectum; observatione tamen compertum est, aurum, et ferrum majores possidere virtutes anodynas, sed notandum; haec metalla in regulino debere esse statu, quamprimum enim oxydantur, illico amittunt virtutem anodynam. Ante applicationem huius remedii, pars nevralgia adfecta praevis solutione salis communis madefit, dein scopula metallica contingitur, atque refert auctor, quod per hunc contactum nevralgias et odontalgias graves sanaverit, opinaturque quod electricitas animalis magis accumulata in parte adfecta per applicationem scopulae metallicae tanquam bonum conductorem, extrahatur.

Balnea universalia simplicia frigida, tepida, calida diversis ex indicationibus diverso cum effectu adhibita fuere. Balnea tepida quae *Frank* commendat, vel calida in iis casibus ubi rheumatismus chronicus, aut sensibilitas adaucta prosopalgiam sustinent, conductoris ad instar incitationem derivantia prosperum praestiterunt effectum. Frigida eosdem effectus exserunt, si prosopalgia a debilitate indirecta originem ducat, balnea sulphurea tam naturalia quam artificialia, in rheumaticae aut metastaticae indolis prosopalgia optatum praestant effectum. Aquae Nenndorfenses per *Lentinium* commendantur, alii easdem, uti et Pymontanas, Mainbergenses absque effectu bono adbibuerunt. Fontem Wissbadensem *Lentin* pro potu, et balnea cum cineribus fagi et alcali caustico adhibuit. Balnea maris *Mazius* laudat, *Lentin* inefficacia dicit. *Hifeland* balnea maris Doberanensia multum commendat, irrorationes simul cum iisdem svadet. Irrorationem cum aquis Bellilucanis *Sauvages* cum levamine aliquo instituisse vidit.

Suffusiones frigidae a medicis Americanis commendantur.

Pediluvia menstruis et arthritide restitutis proficua viderunt, *Boehmer*, *Steinbuch* et alii.

Collutoria cum aqua laurocerasi et laudano liquido Sydenhami *Schaeffer* ast absque effectu adhibuit.

Enemata *Kaempferi* suos quoque habuerunt defensores. Aërem fixum iuxta *Hülmi*, ano iniici curavit *Mazius*.

A pressione modica et constante nervorum adfactorum levamen sequi vidit *Haighton*. Frictiones siccae cum pannis laneis quoque ast saepissime cum dolorum augmento tentatae fuere. *Mazius* casum refert, ubi, postquam aeger ob vehementiam dolorum faciem rudissime perfricasset, ab omni dein insultu liber mansit, in aliis hae frictiones aut nullum levamen tulerunt imo non raro augmentum doloris; et haec certo characteris non mere nervosi fuerunt. Ubi a frictionibus ad sanguinis effusionem usque factis levamen subsecutum est, hic certo sanguinis effusio, vel qua antiphlogisticum, vel qua sensibilitatem derivans egit.

Incisiones in gingivas faciei que partes diversas, vix unquam bono cum effectu institutae fuere.

Omnibus incassum tentatis dissectio nervi adfecti a multis proponitur qua remedium bono vix non semper effectu coronatum, alii limitandas esse has laudes, operationemque ipsam magnis premi difficultatibus contendunt.

Operatio haec testante *Thouret* iam *Galeno* nota fuit, medio saeculi praecedentis a Galliae chirurgis *Viellard*, *Louis*, *Thouret*, *Sabatier* et ab Anglo *Haighton* proposita et instituta est.

Ut haec operatio prospero coronetur eventu, indicationes statuere oportet, quae illam exposcunt; et ita etiam contra indicationes noscendae, quae eam prohibent. Prosperiorem successum augurari licet ab operatione, ubi neuralgia facialis a vitio organisationis, aut ipsius nervi, aut partium vicinarum originem trahit, ubi unus solum ramus nervorum facialium affectus est, et ubi hic ramus affectus exacte determinari, et cultro attingi valet.

Momenta eam prohibentia sunt: cachexia universalis quaecunque morbum producat aut sustinens, hac enim praesente vulnus novitum inductum, in ulcus malae indolis mutabitur, uti in cancerum, aut alias devastaciones organicas, et si etiam haec non sequantur, malum tamen hic cessans, alias partes saepe longè nobiliores invadit, uti cerebrum, pulmones, ventriculum aliaque viscera, et sic etiam laethalis evadere potest.

Inter recentiores *van Wy*, *Lentin*, *Kapp*, *Leydig*, *Weinhold*, *Edgenstjerna*, *Murray*, *Mott*, et praecipue inc-

dici Americani bonum effectum huius operationis viderunt. Dubia quae *Richerand*, *Mazius*, *Barth. Siebold*, ad operationem hanc interdicens movent, maximae sunt dignitatis, consistuntque in sequentibus; quod nervus adfectus ubique determinari non possit, et quod ipsa operatio valde periculosa sit, ob simultaneam laesionem vasorum dum nervus transecatur, nam intime iunguntur arteriae et venae cum nervis, quae laesio haemorrhagiam nimio opere debilitantem inducere valet, dein ob facilitatem qua laesio ductui Stenoniano infertur, et ob inde oriundam fistulam salivalem, et ultimo quod paralysis musculorum facialis facile inducatur; haec tamen dubia evitantur, ubi operatio, a Chirurgo perito instituta fuerit, quod timorem concernit insequendae paralyseos musculorum faciei, hunc penitus sustulit extirpatio glandulae parotidis *Siebold*. Haemorrhagia timenda, quae arteriarum supra et infraorbitalem dissectione nullomodo evitari potest, congruis remediis facile sistitur.

Locum operationis determinat ipsa topica affectio, quae locum habere potest in nervo supra orbitali, infraorbitali, frontali, diversisque ramis nervi facialis; quodsi ultimi plures rami adscicerentur tunc svadet *Langenbek* ut plenaria fiat nervum facialem inter, et reliquos paris quinti ramos nexus solutio, primo nervum infraorbitalem ad arcum zygomaticum, dein ramos nervi facialis, in musculo mässetere, ad angulum maxillae secare; pluribus difficultatibus premitur sectio ramorum temporalium nervi facialis ob laesionem arteriae temporalis vix evitandam; maximae periculosa est dissectio nervi facialis ad foramen stylo mastoideum ob arteriae carotidis viciniam.

Ipsam operationem alii cultro convexo, alii et certo melius reclilineo, cuspidato, quo nervi; in fissuris ossis haerentes facilius secantur, instituunt.

Summam attentionem meretur plenaria nervi dissectio, qua segmentorum reunio textus cellulosi ope, qui optimum praebet sensibilitatis conductorem impeditur; hinc laudanda est methodus, quam sequitur *Cell. Wattman* Proff. chirurgiae practicae Vindobonae, qui integram portionem nervi adfecti excindit; haec methodus praeferrri meretur eae qua nervus pluribus dividitur sectionibus, quam *Proff. Mott* americanus svadet.

Exitus huius operationis minus faustos, quos alii observarunt, praeter causam quam *Cell. Zang* in nexu multi-

plici nervorum infra aut supraorbitalium cum facialibus sitam opinatur, etiam alios fontes agnoscit qui in contradictionibus operationis quaerendi sunt.

Praeterea monendum habemus, quod chirurgus non persvasum se se credat sanasse morbum, etiamsi dolor post operationem dispareat, ex experientia enim notum est dolores non raro eousque siluisse, quamdiu inflammatio duravit, qua abacta eos denuo iterum rediisse.

Ex consideratione hucusque adlatorum patet, morbum hunc dirum et atrocem multiplici therapia pro morbi natura diversa tentatum fuisse, nec tamen eo adhuc devenimus, ut certum aliquod et infallibile remedium morbo dirro opponeremus, sed hac quoque in parte amplius adhuc adest campus rationali medici scrutinio quam dignissimus.



A u c t o r e s .

- André* Observation sur les maladies de l'urètre. à Paris, 1756. p. 318.
- Abulkazem* Chirurg. ann. prim. Libr. III. Argent. 1532. P. 1. cap. 7. de modo cauterisandi in tortura. p. 124.
- Aretaei Cappad.* oper. ed. Parisiis. 1556.
- Barth* (Ch. H. W.) Mehrjäh. Beobacht. über. d. Gesichtschmerz. Leipz. 1825. vide *Heker* annal. 2. B. Litt. anz. N-o 8.
- Bellingeri* Dissert. inaug. August. Taurinor. 1818.
- Chaussier*, Table synoptique de Névralgies.
- Charl. Bew.*, Opinions on the causes and effects of the discase denominat. tic douloureux. Lond, 1824. 8.
- Dreyssig* Handwörterbuch d. med. Diagnostik B. 1. S. 405.
- Degnerus* in act. nat. curios. V. Obs. 159.
- Forstman et Leidenfrost*, de dolore faciei Fothergillii, 1790.
- Fothergill* complete collection, of Fothergills works bi Lettson. London. 1781. 8. Vol. II. etiam in Samml. auserles. Abhandl. zum Gebrauche pract. Aerzte. Band. III. S. 152.
- Frank* (I. P.) de curandis hominum morbis epitome Vienne, 1805. Libro. VII. Sect. 2.
- Frank* (Ios.), Praxeos med. universae praecepta. Pars. II. Vol. I. Sec. II. Lipsiae., 1821. p. 146.
- Gmelin*, fortgesetzte Versuche über den thierischen Magnetismus. S. 604.
- Haase* über die Erkenntn. und Cur d. chronisch. krankh. II. B. S. 400—414.

Hoffmann Sigismundus Dissertatio de Prosopalg. Viennae 1832.

Haighton, Medical. Records and. Rescarches, selectet, from, thepapers of a privatae medical Association. Lond. 1789. et in Samml. auserles. Abhandl. aum Gebrauch pract. Aerzte. XX. B. S. 170.

Hamel de la nevralgie faciale communément tic douloureux de la face à Paris, 1803.

Hartmann (C. A. T.) dissertat. sistens observ. quasdam de Prosopalgia Tubingae, 1811.

Henke Specielle Pathologie.

Halfter Dissertatio de Prosopalgia. Berol. 1825.

Hildenbrand. Salzbr. med. chirurg. Zeit. 1791. III. B. S. 307.

Hildenbrand (Franz.), Annal. Scholae clinic. Ticinens. P. II. 1830.

Hutchinson (Benjamin), Cases of tic douloureux successt folly treaded. Lond, 1820. 8.

Hügel Disquisitio Nevralgiae facialis pathologica. Berol. 1824.

Hufeland's Journal d. pract. Heilk. Band I. St. IV. S. 614. B. VI. Seit. 329. B. IX. St. 1. S. 56—65. B. X. St. 3. S. 200. B. XIII. St. IV. S. 134—136. B. XIV. St. 2. S. 106—108. B. XX. St. IV. S. 65—70. B. XXV. St. 4. S. 149. B. XXV. St. 1. S. 9. B. XXVIII. St. 6. S. 60. B. XXXI. St. 3. B. XXXV. St. 6. S. 200. B. XXXVI. St. 6. S. 82. B. XXXVII. St. 3. S. 109. und St. 2. S. 82. und St. 1. S. 54. B. XLII. St. 3. S. 138. St. 4. S. 77, 84—89. St. 6. S. 32. B. XLIII. St. 4. S. 19. XLIII. St. 5. S. 116. B. XLIV. St. 1. S. 47. 65. 50 et seq. St. 4. S. 112. B. XLV. St. 4. S. 112. B. XLVI. St. 3. S. 49. B. XLIX. St. 5. S. 111. B. LI. St. 3. S. 7. B. LV. St. 4. S. 27 et seq. B. LVI. St. 5. S. 113. B. LVII. St. 1. S. 121. B. LVIII. St. 4. S. 94. B. LIX. St. 2. S. 38.

Loenen (van) Dissertatio de dolore faciei convulsivo. Gröning. 1797.

Kunder, Beobachtung. über d. Gesichtschmerz. Salzbr. 1803.

Leuthner. (F. Xav. I. de) Comment. de dolore faciei Fothergillii. Würceb. 1810.

Leidig Doloris fac. dissecto infraorb. profligati historia Heidelberg. 1807.

La laurie Beobacht. eines durch Arsenik geheiltèn Gesichtschmerzes. siehe Frorieps Notiz. N-o 65. und Gers. und Iul. Journ. Nov. Dec. 1822. S. 528.

Larrey Recueil de Mémoires de Chir. P. 1821. §. 6.

Mazius Progr. adit. de trismo dolorifico. Rostock. 1805.

Meglin, recherches et observations sur la nevralgie faciale. Strasburg. 1816. item Journ. de méd. chirurg. et pharmacie Tom. XXII et XXVII.

Langenbek, tractat. anatom chir. de nervis cerebri in dolore faciei considerandis Göttingae, 1805. tab. II. et in eiusdem Bibl. für Chirurgie I. B. 2. St. S. 456 und II. B. 4. St. S. 157.

Mayer (L.) Dissert. de prosopalgia Wien. 1822.

Kerrison (Rob.), Diss. de nevralgia faciei spasmodica. Edinb. 1820. 8.

Havass (Ignatius) Dissert. de prosopalgia nervosa. Pest. 1828.

Neubert (F. H.) de Prosopalgia Dissert. inaug. medic. Berol. 1825.

Pujol, Essai sur la maladie de la face nommée, le tic douloureux, a Paris, 1707, 8. deutsch übersetzt von Ch. St. Schreyer. Nürnberg. Altd. 1788.

Nollau Prosopalgiae adumbratio. Berol. 1824.

Raimann Handbuch der speciell. med. Path. und Ther. I. B. Wien, 1817. et praelect. 1819 Vindob. habitae.

Reil Memorabilia clinica Vol. I. fasc. 2. pag. 9.

Richter (A. G.) Specielle Therapie. II. B. S. 50.

Rhazis. Oper. Lib. I. ad Amanzorem. cap. 5.

Sauvage. Nosologia methodica. Tom. I. p. 533—534 et 548.

Siebold (G. C.) dolor fac. morbi rar. atque atrocis observ. illustr. adumbratio. Würzburgi, 1795. 4. Diatrib. II. ibid. 1797. 4.

Simon Dissertatio de Prosopalgia Halae, 1793.

Sprengel (C.), Handbuch d. Pathol. III. Theil. §. 259.

Stark Handb. z. Kenntlis und Heil. innerer krankh. Jena, 1800, 2. Th. S. 9.

Swieten (van) Comment. in Herm. Berhaave Aphoris. de cognosc. et curand. morbis. Würzeb, 1788. T. IV. p. 201.

- Thuret* Historie de la société royale de médecine T. I.
S. 176.
- Tognio* (Ludovic.), Dissertatio de nevralg. faciali. Vin-
dob. 1820.
- Valentin* Memoires et observations concernant les bons
effets. du cautère actuel appliqué sur la tête. etc.
- Viellard* Dissert. utrum in pertinacibus capitis faciei que
doloribus aliquid prodesse possit sectio nervorum
quinti paris. Paris. 4.
- Vogel* (S.G. zur nachricht für die Curgaeste in Doberan.
im Jahre 1798 und Beylage dazu Rostok 1799. 1799.
- Zang* Darstellungen blutiger heilkundiger operationen. II.
Th. S. 289 — 293.
- Mazius* Beitræge zu einer künft. Monographie üb. d. nerv.
Gesichtsschmerz in Hecker's litter. Ann. d. gesamt.
Heilk. 1826. VI. B. p. 1 — 32. 130 — 145. 257 — 305.
385 — 418.
- Michaelis* Beisp. v. geheilt. Gesichtsschmerz, in Graefes
und in Valthers Journ. IV. B. 4. St. Nro. VIII.
- Zuccarini* Pr. casus atrocissimi capitis faciei que doloris
cum enormi tumore carioso coniuncta. Heidelb. 1793.
- Weisse* Dissert. de prosop. Jenae. 1796.
-